[illegible]	[illegible]
Item	105
[illegible]	110
[illegible]	114
Cyprian[illegible]	126
Chrisost.	139
Cyrillus	148
Fulgent.	153
item	160
Anselmus	179
Item	[illegible]
Bernardus	197

PROLOGVS.

ILLE a Christo Domino de cælo in Apostolatum vocatus, gentium prædicator, vas electionis, qui raptus in tertium cœlum Diuinitatis secreta penetrauit: dum sibi dilectum discipulum Timotheum instruxit, nobis regulam discendi, docendiq. præfiniuit. Et quæ tenenda doctrina, quæ vero fugienda breuissimo sermone præstrinxit dicens. [O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.] Quisquis es qui Ecclesiasticæ doctrinæ dogmata suscepisti, hæc sub deposito tibi concredita esse cognosce. non tuo labore ingenioq. inuenisti, non ea excogitasti, sed publica traditione tibi sunt tradita. In quibus non auctor esse debes, sed custos: non institutor, sed sectator, non Dux, sed sequax. Quod

1. Timoth. 6.

tibi traditum eſt inuiolatum apud te permaneat. Nolo mihi pro alijs alia ſubijcias. Nolo pro auro, aut plumbum, aut æramenta ſupponas. Aurum accepiſti, aurum redde. Deuita (inquit) profanas vocum nouitates. Non dixit Antiquitates, non dixit vetuſtates, immo plane quid e contrario ſequeretur oſtendit. Nam ſi vitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas: Et ſi profana eſt nouitas, ſacra eſt vetuſtas. Profanas igitur vocum, rerum, ſententiarum, dogmatumq. nouitates quaſi baſiliſcum fuge. Quæ nihil religioſum, nihil ſacrum conferunt: ſed prorſus ab Eccleſiæ penetralibus (quæ eſt templum Dei) alienum. Et oppoſitiones (ait) falſi nominis ſcientiæ, vere falſó nomen ſcientiæ nouitatibus attribuitur, dum ignorantia ſcientiæ, caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione fucantur. Quamuis enim ſemper inuicta maneat veritas, numquam tamen aduerſus eam ſe attollere deſinit falſitas. Et quia aperta fronte contra eam non audet aſſurgere, ne mox validiſsimis eius iaculis proſternatur, ipſius adum-

Vincẽt. lirin. aduerſ. hæreſ. c. 24.

brata specie aduersus eam dimicat. Atque ita non solum leues & incautos, verũ etiam aliquando prudentes & graues decipit animos. Quos cum suis oppleuerit tenebris, cogit eos insano mentis iudicio detrectare quæ vera sunt, & quæ sua sunt approbare. Quam quidam nouam fucatamq. veritatẽ, & doctrinam ignoratam promittentes circa fidem naufragauerunt. Tu ergo quicumque es, qui solidæ veritatis captus pulchritudine, diu noctuq. eam quærere non desistis, & in illius inquisitione delectaris, sapientis monitis acquiesce. [Non te prætereat narratio Ecclisſ. 8.
seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.] si te Diuinum munus ingenio, exercitatione, doctrinaq. idoneum fecerit: esto spiritalis Tabernaculi Beseleel. Preciosas Diuini dog- Exodi 35.
matis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, splendorem adijce, gratiam venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod antea credebatur obscurius. Per te posteritas intellectũ gratuletur, quod

ante vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didiciſti, ita doce, vt cum dicas noue, noua non ſemines. Hæc quidem veriſsima ſunt, & expedientia, ac ex patrum Theſauris collecta, Apoſtolicæque veritati conſentanea, atque coniuncta. Multi tamen tanta nouarum doctrinarum libidine ſtimulantur, vt faſtidiant vetera, in dies noua quærant, ſemperq. religioni addere aut mutare deſiderent, qui [Patrum ſuorum terminos tranſgrediuntur,] [ſæ-
Prouerb. 22. pem ſcindunt] [& ſuper iudicantes ſe, iudi-
Eccleſiaſtes 10. cant.] & cum nihil aliud ratio pietatis ad-
Eccleſiaſt. 8. mittat, niſi vt omnia, qua fide a Patribus ſuſcepta ſunt, eadem fide filijs conſignentur, nosq. religionem non qua velimus ducamus, ſed potius qua illa nos ducit, citiſsimo gradu ſequamur. Id quoque ſit Chriſtianæ modeſtiæ, non ſua poſteris tradere, ſed a maioribus accepta ſeruare, (proh dolor) ſua male concinnata grauiſsimis ſanctorum dictis præferunt, anteriorum nouitates Eccleſiaſticis cenſuris exterminatas ſuſcitant, fucant, & poliunt. Ac ſe nouorum dogma-

tum inuentores gloriantur. O, curas hominum & quantum est in rebus inane. Hortatur scriptura [Interroga Patres tuos, & dicent tibi: maiores tuos, & annunciabunt tibi.] clamat Apostolus, [o Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates.] Et ij nouarum doctrinarum sarcinas in Ecclesiam asportant. Cum non solum aperta hæresis fideli execranda sit, sed & periculosa nouitas detestanda. Hæc vera, & amplectenda institutio est, quam tota per orbem terrarum Catholica confitetur Ecclesia, quam maiorum Patrum nostrorum concors celebrauit sententia; Hæc in diuinitate radices firmas extendit, in Christo germinauit, in Apostolis ramos per omnem terram, expandit, atque in sacris doctoribus veritatem, quam ab altis radicibus suxit, ad nos vsque infallibili deductione diffundit. Verumtamen bono seminantis iacto semine, terræ vitio, infelix folium, & steriles dominantur auenæ, ac de suauissimæ fici papauere vana & ventosa Çaprificus exoritur, quibus versutia hostis antiqui Ecclesiam

Deut. 32.

1. Tim. 6.

ſiam impetere non deſiſtit; cum Catholica fides, quæ nulla eſt ſui parte mutabilis, per ipſas exercitationes cooperante hoc Dei gratia, quotidie validior efficiatur, & clarior, Cæterum vt ad rem noſtram propius accedamus, Pelagius ita vires liberi magnificauit arbitrij, vt ſuppoſita diuina lege, Euangelijq. prædicatione quam ille gratiam appellabat, hominem poſſe ſolius naturæ viribus credere, ſperare, diligere, ac coram Deo iuſtificari dictitaret, in rebus quoque bonis per ſingulos actus, non indigere gratia putaret. Cuius inſaniam D. Auguſtinus Eccleſiaſticæ doctrinæ gladio compreſsit. Vno tamen Hidræ amputato capite, plura pullularunt. Adhuc enim eo viuente multi Galli etiam Epiſcopali infulâ inſigniti, Pelagij virus, fucatius tamen, ac temperatius hauſerunt, gratiam non negantes, quæ volentem adiuuet, non autem, quæ præueniat vt velit, Horum ſententiæ noſtris temporibus multi acquieſcunt, qui gratiam ſufficientem conſtituunt, quam humanam præuenire voluntatem aſſerunt, non tamen præ-

uiam in eam operando decernunt, sed sociam, & comitem. Quæ liberum efficaciter non agat arbitrium, sed ab ipso natura saltem priori initium operationis expectet, quam postea sequatur pedisequa. Nec esse aliquod auxilium, quod ex se, atque vt a Deo procedit, efficaciam sortiatur. Sed sufficiens fieri efficax ex humanæ consensu voluntatis arbitrantur. Itaque quod auxilia diuina efficacia sint, seu inefficacia a solo arbitrio pro innata sibi libertate pendere decernunt. Multi vero alij, quibus ista doctrina displicuit, non valentes etiam comprehendere, quonam fieri posit modo, vt Deus efficienti seu Phisico auxilio humanam voluntatem ad agendum impellat, quo nihil obstante in sua voluntas libertate permaneat, alium dicendi modum hucusque inauditum excogitarunt. Concedunt enim efficax auxilium negari non posse, quod infallibiliter sequatur effectus, hoc autem nequaquam efficiens Phisicum, ne necesitate coactum liberum tollatur arbitrium, & immensa Dei fortitudine pressum absorbeatur.

Sed morale. Quod vocant inſpirationem, vocationem, ſuaſionem, prædicationem, bona oculis obiecta exempla. Quibus & ſimilibus voluntas allicitur, ſed non trahitur. Vt tamen iſta diuina motio efficaciam obtineat, quam aprime neceſſariam eſſe ducunt, adijciunt iſti Theologi. Deum his, quos efficaciter, & infallibiliter decreuit conuertere, eam ſuaſionem adhibere, quam videt ingenio eorum congruere, & quam ab eis non fore contemnendam certo cognouit. Denique vltimo loco ſententiam ſtatuimus, quam eſſe inconcuſſam Eccleſiæ veritatem arbitramur. Scilicet quod Deus in omni conuerſionis opere bono humanam voluntatem efficienti ſeu phiſico mouet auxilio, illuminat, benitatem libero tribuit arbitrio, ægrum ſanat, infirmum corroborat, indiſpoſitum præparat, & ad ſingulos quoſque actus potiſsima motione, ac ſuauiſsima, ſeruata, auctaque libertate propellit. Inquit enim Apoſtolus [fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus . in quo omnis ædificatio con-

1. Cor. 3.

ſtructa

ſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.] De quo ſcriptum eſt: [firmum autem Dei fundamentum ſtat, habens ſignaculum hoc: nouit Dominus, qui ſunt eius] ij autem qui contrariam viam ſequuntur, in ſuæ iuſtificationis opere hoc fundamentum videntur abijcere, dum pro ſua innata libertate operando fundamenta iaciunt; ædificium inchoant, quod Deus inceptum debeat extruere. Ac denique totum pondus ſalutis ſuæ ſolubili arenæ, & ſucciduo cineri ſuper ponunt. Sit ergo fundamentum Christus Ieſus, vt ſpiritualis ſtructuræ faſtigium firmum exurgat. [ne dum flauerint venti, ac tentationum procella irruerit, innundauerint flumina, ſit conſtructæ ſpiritualis domus ruina magna.] Moueatq. cachinos; qui ſuper arenam ædificium erexit. [Niſi enim Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt, qui ædificant eam:] Ideo igitur hunc humeris meis imparem laborem ſuſcepi, deſiderans (ſi forte valeam) veritati, inter diuerſarum opinionum nebulas lucidam viam

2. Tim. 2.

Matth. 7.

Pſalm. 126.

sternere. Adsit o, mihi Deus, placidusque iuuet, & sidera cœlo dextra ferat. Vt autem eorum quæ mihi dicenda sunt, legentium oculis compendium obijciam. Primo argumenta quibus diuersa sentientes Phisicam diuinorum auxiliorum efficaciam infestant, ac sua placita roborare nituntur, in medium adducam. Quid sit liberum arbitrium, & in quo libertas consistat, aperiam. Quis casus illius, a quo per Christi gratiam liberatum explicabo. Quæ Diuinæ Gratiæ auxilia nobis fuerint desuper donata, & quæ cuiusque munia discernam. Ac denique auxilium efficiens seu Phisicum ad iustificationem hominis esse necessarium; cui etiam rationis lumen affulserit, Diuinæ scripturæ euidentibus testimonijs, sacrorum Conciliorum diffinitionibus, communi sanctorum Patrum consensione, Theologicis etiam demonstrationibus ostendam. Vniuersa autem hæc sicut a suis fontibus fluxerunt de verbo ad verbum fideliter referam. Vniuscuiusque sancti obitus annum a natiuitate Domini in Marginibus designabo. vt cum

lector quo quisque floruerit tempore cognouerit, omnibus in vnum collatis, hanc quam statuimus veritatem ab exordio nascentis Ecclesiæ vsque nunc qualibet ætate, constantem, perpetuam, inconcussamque catholicam fuisse sententiam media luce perspiciat. Demum aduersantium oppositiones dissoluentur. Et cum præmissa compleuerim, gloria sit Deo [omne namque datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum] cui cuncta referimus, vt [vnde exeunt flumina reuertantur, vt iterum fluant.]

Iacobi 1.

Eccles. 1.

DE AVXILIIS DIVINAE GRATIAE AC EORVM EFFICACIA.

Argumenta tenentium contraria proponuntur. Cap. I.

Primum Argumentum.

DEVM mouere hominis voluntatem efficaci, & phisico auxilio, & eam moueri libere, contradictionem includunt, ergo sunt incompossibilia antecedens probatur. Supposita illa motione efficaci Dei, efficaciter mouetur voluntas, & necessario, mouere namq. & moueri dicuntur correlatiue, Igitur vno posito, necessario ponitur alterum. Rursum si mouetur voluntas libere, ergo quacumque suppositione facta manet indifferens ad vtrumlibet, est enim de essentia libertatis

indifferentia; ergo implicat quod moueatur efficaciter a Deo voluntas, & quod operetur libere.

Bene sequitur: Deus voluit me modo conuerti ergo conuertor. antecedens est necessarium ergo & consequens, sed dicetur quod sicut consequens est necessarium ex suppositione, ita & antecedens, nam simpliciter Deus libere me conuertit. Contra hoc est, quod propositio de præterito quæ habuit vnam de inesse veram, est simpliciter necessaria ergo illa proposito Deus voluit me conuertere est absolute necessaria, cum habuerit vnam de inesse independentem a causa secunda, vnde nec ab ea impediri potest.

Secundũ Argumentum.

Causa libera est quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari, sed si ponatur Dei concursus efficax, qui est vnum de necessario requisitis voluntas necessitatur ad agendum, ita vt non possit non agere, [voluntati enim eius quis resistet?] ergo voluntas non agit libere, confirmatur, si Angelus moueret vo-

Tertium Argumentum.

Rom. 9.

Confir.

lun-

luntatem meam tali efficacia, vt ei resistere non valerem absolute necessitaretur mea voluntas, sed Deus ita mouet, ergo necessitatur voluntas. item si aliquis moueret manum meam ad scribendum efficaciter, ipsum scribere esset mihi necessarium, ergo cum Deus moueat voluntatem meam efficaciter ad volendum, ipsum velle erit mihi necessarium.

Quartum Argumentum.

Deus potest necessitare voluntatem ad actum alias liberum, ergo in casu posito necessitat, antecedens est certum quoniam necessitatur actu voluntas Beati ad amandum Deum præsentem, consequentia probatur, nam non aliter Deus necessitat voluntatem quam eam mouendo efficaciter, vt agat, sed quando voluntas vult, Deus vult efficaciter velle, alias enim impossibile esset eam velle, ergo eam necessitat. Nec enim apparet quo alio modo Deus necessitet Angelum ad essendum, nisi volendo vt sit, neque lapidem ad motum nisi volendo, vt moueatur, [omnia namq. quæcumque voluit Dominus fecit] & volendo facit, er- (Psalm. 113.)

go

go Deus volendo me velle, necessitat me, vt velim.

Si nos simul cum Deo libere ad nostram conuersionem concurrimus, sequitur quod id ipsum quod in illa Deo ascribimus, nobis liceret tribuere, Itaque sicut ipse ait, [sine me nihil potestis facere] possemus & nos dicere illi, sine nobis nihil nostræ conuersionis potes facere, sic etiam sicut ipse dicit [nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum] ita & nos possemus dicere ei, non potes nos trahere nisi nos veniamus ad te. Ipse ait, [nisi Dominus custodierit Ciuitatem frustra vigilat, qui custodit eam,] possemus quoque nos ei dicere, nisi nos vigilauerimus frustra custodis nos. Ac denique quemadmodum dicitur, [non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei] possemus dicere non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis hominis, sicut enim non est solius hominis currentis, & volentis, sed etiam miserentis Dei, ita non est solius miserentis Dei, sed etiam volentis & currentis hominis.

Quintum Argumentum.

Ioann. 15.

Io. 6.

Psalm. 116.

Rom. 9.

Sextum Argumentum.

In conuersione nostra Deus generat in nobis velle, & producit in nostra voluntate consensum, quo aperiuntur corda nostra intranti Deo per gratiam, ergo nos nihil agimus. Confirmatur. In conuersione peccatoris dum a malo in bonum mutatur, illa motio fit a gratia operante, ergo est a solo Deo, & non a voluntate, probatur consequentia. Tum ex Diu. Augustino, qui ait; Deus quod operando incipit cooperando consummat, & paucis interiectis: Vt ergo velimus sine nobis operatur, cum autem uolumus, & sic uolumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur, solus ergo Deus sine nobis operatur conuersionem nostram. Tum etiam ratione probatur, quia prima actio qua uoluntas constituitur in actu intentione finis, siue in naturalibus, siue in supernaturalibus tribuitur auctori naturæ, seu gratiæ, ergo non uoluntati.

Confir.

Lib. de gratia. & lib. arb. c. 17.

Septimũ Argumentum.

Ista gratia efficax phisica tollit gratiam sufficientem, ergo non est admittenda; antecedens probatur, gratia efficax est determinatio quam Deus efficit in uoluntate, si

igitur

igitur hæc eſt neceſsaria, ſine ea nequit fieri actio bona: ac per hoc nulla remanet gratia vere ſufficiens, quæ non ſit etiam efficax.

Hæc ſententia de efficacia phiſica tollit liberum arbitrium: ergo eſt reijcienda. Antecedens. probatur, poſita gratia determinante, non eſt in poteſtate liberi arbitrij agere, & non agere, nec eſt in eius poteſtate, vt ea gratia ponatur, vel non ponatur. Igitur neceſſario, & non libere voluntas agit. Confirmatur hoc argumentum. Nemo poteſt ſine auxilio Diuinæ gratiæ dirigi in vltimum finem, nec valet aliquis ſine ea habere neceſſaria ad tendendum in eumdem finem, ſicut credere, ſperare, amare, in bono perſeuerare, neque auxilium Diuinæ gratiæ promereri, neque conuerti niſi ab ipſo Deo conuertatur: ergo non debet homini imputari inculpam, quod prædictis careat cum ea præſtare non poſsit. Octauum Argumentum. Confir.

Nono Argumento, Probatur eſſe ſen- Nonum Argumentum.

Lib. de spir. & littera c. 34.

tentiam D. Augustini quod efficacia gratiæ sit moralis, & non phisica, sic enim ait; Attendat, & videat, non ideo tantum istam voluntatem Diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, & ibidem, cum his modis agit Deus cum anima rationali, vt ei credat, nec enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat, profecto, & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, propriæ voluntatis est; quæ res non solum non infirmat quod dictum est, [quid habes quod non accepisti?] sed confirmat. [Accipere autem & habere anima non potest dona de quibus audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei est, accipere enim & habere

vtique accipientis & habentis est] hoc loco S. Augustinus primum ostendit, ipsum velle bonum esse donum Dei, non quomodo Pelagiani docebant, quia sit ex libero arbitrio, quod nobis a Deo donatum est, sed quia sit ex peculiari gratia Dei. Deinde explicat quidnam sit illa gratia, ac dicit esse suasionem, inspirationem, visorum immissionem, internam vocationem. Denique excludit opinionem illam quæ docet a Deo determinari voluntatem, ac dicit consentire ac dissentire vocationi propriæ uoluntatis esse alia multa loca huic similia congerunt isti Theologi in probatione suæ sententiæ, quæ quia eiusdem sunt solutionis prætermitto.

De hominis excellentia ex libero arbitrio prouenienti. Cap. II.

Eccleſ. 15. DEVS ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui, adiecit mandata, & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te: & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod uolueris, porrige manum tuam. Ante hominem Vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi: Liberi arbitrij facultatem uocat Spiritus ſanctus manum conſilij: quia omni præſidet occaſioni. Nihil illo dignius, quia incommutabili æternitati præcæteris uicinius accedit, eius in ſe imaginem expreſsius gerit. Quia nulla culpa uel miſeria non dico deſtrui, ſed neque minui poteſt. Et ſicut Deus ſuperiorem non habet, nec habere poteſt; ſic li-

berum arbitrium dominium non patitur, nec pati poteſt: quia uiolentiam illi inferre, nec Creatorem decet, nec Creatura ualet. Totus licet infernus totusq. mundus, & militiæ cœleſtis in unum coniuret exercitus, unus ex libero arbitrio conſenſus inuito extorqueri non poteſt. Tantâ eſt liberi arbitrij dignitas, excellentia, atque nobilitas. Non ita ſub lunari cui piam contigit Creaturæ. Siue enim terram, cœlum, elementa, plantas, & cuncta cognitione carentia conſideres, quæ impetu naturæ cientur, & ſine aliquo aguntur iudicio: ſiue animalia bruta mentis cogitatione reuoluas, quæ licet iudicio, non tamen libero operantur, quia non ex rationum Collatione, ſed ex inſtinctu naturali mouentur. Omnia hæc ueſtigia quędam ſunt Dei, ſuam cauſam demonſtrantia, ut cinis ignem oſtendit. [Nimirum interroga Iumenta, & docebunt te, & uolatilia cœli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narra- Iob.12.

bunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?] homo uero rationis collatione præuia non instinctu naturali in aliquid unum determinatum propellitur, sed in diuersa, & opposita libero uoluntatis ferri potest arbitrio. Atque ideo cunctis præstat animantibus, supereminet uniuersis, Dei similitudinem præ se ferens. Cuius Deus præcæteris ampliorem dignitatem manifesto declarauit in mundi huius productione. Vt enim alia crearet, Dixit. [fiat lux, (& facta est lux)] [producat Terra animam uiuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias Terræ secundum species suas, factumq. est ita.] cum autem ad hominis Creationem accingeretur, quasi de totius Trinitatis Consilio dixit Pater. [faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.] qua de re præ muneris magnitudine admirans, & stupens, sanctus Moyses semel, & iterum eadem uerba dulcissime

Genesis 1.

replicabat. [Creauit (inquit) Deus hominem ad imaginem ſuam. Ad imaginem Dei creauit illum.] Quis non ſtupeſcat, cum omnis creaturæ primogenito, imago Dei eſse conueniat, qui in eadem Patris natura procedit, perfecte complens illud cuius imago eſt: hominem etiam ad imaginem Dei creari? Quamuis id, cuius imago eſt, non adimpleat, ſed ab æqualitate naturæ deficiat. Quare non dicit ſcriptura faciamus hominem imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ſed ad imaginem. Illa namque præpoſitio, ad, motum ad rem diſtantem inſinuat, ut ad eam accedat. homo igitur ad imitationem Diuinæ eſsentiæ; & ad illius exemplar creatus eſt. Imitatur namque Deum ſecundum ultimam differentiam, & ſecundum gradum ſupremum perfectionis quem in eo intelligimus. Cum enim quædam ſimilitudinem eius obtineant in eſsendo, in eo ſcilicet quod ſunt, quod omnibus commune eſt.

Quædam ſecundum uitam, quæ cunctis uiuentibus communi ratione conuenit. Homo quatenus intelligit, & vult, eſſe Diuinum refert, ex quo intellectualis creatura ſic eſt Deo ſimilitudine, & imagine proxima: vt nihil creatum ſit propinquius, aut nobilius. Illud enim ad alterius imaginem expreſſum dicimus quod eius faciem repræſentat. Facies autē Dei, illius intellectus eſt, & voluntatis libertas: in quibus homo illi maxime aſsimilatur, & appropinquat. Quod aperte pſalmiſta explicuit dicens, [ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.] In ſuprema mentis parte ſic impreſſa eſt, quaſi ſigillum facies tua, vt vacuo quod in intellectu & voluntate reliquit, nulla creatura, neque totus mundus coequari poſſit, nec alio quam vultu tuo, a quo cauſatum eſt, valeat impleri. Fecerat enim Deus hominem, vt eum intelligeret, intelligendo amaret, amando frueretur, & poſsideret, & poſsidendo tandem quieſceret. Cætे-

Pſalm.4.

rum præuidens hominem ad super natu-
ralia per naturam non posse pertingere,
totam namque naturæ virtutem transcen-
dunt, libero insuper arbitrio vim non sup-
petere, qua cunctis infestationibus appeti-
tus sensitiui quibus concupiscit aduersus
spiritum, & inde sesse præliatur, valeret
resistere: sed quod in numeris eius telis ac
tentamentis, insidijsque necessum esset
quandoque succumbere, in originali iu-
stitia gratiaq. creauit illum, vt altera na-
turã in suo esse perficeret, corpus animæ,
appetitumq. rationi subijceret, ita vt sen-
sualitas nullam rationi molestiam infer-
ret, neque animæ graue corpus existeret.
Altera Deo supernaturali fini connecte-
ret, quem tali adiutorio suis meritis fas
esset pertingere. Posset insuper his Diui-
nis muneribus non peccare, non tamen
concessum est ei non posse peccare, sed vt
à posse non peccare ad non posse peccare
fœlici progressu valeret proficere, & ad
imaginem Dei, per fidem ambulando ad

1.Ioan. 3. speciem, & perfectam similitudinem perueniret quando videret eum sicuti est.

Quid sit liberum arbitrium.

Cap. III.

CVM hominis præstantiam præ cœteris animantibus ex libero voluntatis arbitrio extulerimus, quo nimirum gratia iustitiaq. originali firmatq; vniuersa poterat fugare peccata, omnia insuper mandata seruare, Deum supra omnia, & supra se ipsum diligere, opere pretium est, quid sit liberum arbitrium explicare. est enim res hæc ingens dicendorum contra aduersarios fundamentum; ex cuius praua intelligentia forte in meridiana luce impegerunt, & corruerunt. Est igitur liberum arbitrium facultas rationis, & voluntatis. Sic definitur a D. Thom. 1.2. q.1.art.1.c. eamdem adhibet diffinitionem Magister sententia-

rum, in 2. d. 24. c. 5. & D. Aug. libr. de Ecclesiast. dogmat. c. 20. docet, liberum arbitrium esse rationalem voluntatem. Dicitur quidem facultas, quia eo eleuatur homo adhoc, vt omnium operationum suarum obtineat dominium, & ad vtrumlibet se possit conuertere. Est autem libertas hæc rationis, & voluntatis, cum enim nihil sit volitum nisi præcognitum, necessum est indifferentiam arbitrij in rationis iudicio præexistere, vt in appetitum rationalem redundet. vt autem res hæc clarior euadat, sit exemplum. offert se pauper petens eleemosinam. Ratio format hoc iudicium ex vna parte, dando eleemosinam in pauperiem redigar, non igitur mihi bonum est dare eleemosinam. Ex alia parte aliter iudicium procedit, oportet thesaurizare in Cœlis per opera misericordiæ, vnde bonum est mihi dare eleemosinam. Ex hac indifferentia iudicij manet anceps voluntas. sic ergo liberi arbitrij indifferentia in ratione præexistit,

3. de anima tex. 54.

non autem eodem modo libertatem in ratione, & in voluntate reperies; reperitur namque in ratione, vt in causa, & radice secundum virtutem; in voluntate autem, vt in effectu formaliter. Quemadmodum ea quæ sunt formaliter in creaturis, non sunt formaliter in Deo, sed virtualiter, vt in causa: sicut quæ in his effectibus inferioribus inueniuntur, non sunt formaliter in sole, sed virtualiter, vt in eorum causa. Sic etiam libertas, quæ in appetitu rationali est formaliter, est virtualiter, & vt in causa in ratione, quemadmodum, & ipsa voluntas in intellectiua potentia præexistit, a qua, vt a causa efficienti dimanat. Vnde Arist. [ait expresse quod desiderium, & electio oritur ex consilio, & iudicio rationis;] & alio loco diffinit, [quod potentiæ rationales propterea quod rationales sunt, habent se ad opposita, quod non competit potentijs irrationalibus.] Vnde ex eo quod ratio se habet ad opposita, consequitur tamquam ex causa

D. Thom. p. q. 77. art. 6. & 7.
3. Ethic. c. 2. & 3.
9. Metaph. tex. 3.

libertas voluntatis ad opposita: Quod vero in voluntate tantum sit formaliter, patet consideranti, quod illi tribuitur peccatum, & meritum præcipue; & primo; vt docet D. Aug. dicens, [quod nonnisi voluntate peccatur] & alibi dicit quod [voluntas est qua peccatur, & recte viuitur.] Rursus soli voluntati competit positis omnibus ad operandum requisitis posse operari, & non operari, ei ergo soli competit esse liberam formaliter: Insuper sola voluntate habemus actuum nostrorum dominium; ipsa sua libertate cæteras mouet potentias, ipsa quocumque posito iudicio rationis circa obiectum conueniens voluntati, potest contra niti, illud non eligendo, neque ad vsum illius potentias reliquas applicando, quibus patet quod in illa sola formaliter libertas resideat. Cæterum diligenter opportet aduertere cum duplicem Theologi libertatem constituant, contrarietatis alteram, qua hoc & contrarium velle possumus, alteram

Lib. de duobus animal. contra Manich. cap. 10. lib. 1. retract. cap. 9.

contradictionis, qua nobis velle, & non velle licet. Quando libertatem ad vtrumlibet esse dicimus, non ita debere intelligi, vt essentia illius sit ad bonum, & ad malum posse moueri. In Deo namque & in Beatis libertas est maxima, ad malum autem nequaquam valent inclinari. quoniam velle malum liberi arbitrij deficientis est accidens, non natura. quare Diu. Thom. ait. [non est de ratione liberi arbitrij posse eligere malum, sed potius consequitur ad liberum arbitrium secundum quod reperitur in natura creata: possibili ad effectum.] firmiter itaque huic insistendum est fundamento, quod, vt actus voluntatis sit liber, necessarium est, quod medium eligendum ad finem iudicetur per intellectum non habere necessariam connexionem cum fine, sed esse indifferens, & ad finem ordinandum. Quod iudicium practicum est, & cum electione voluntatis necessario coniungitur, tamquam radix efficax actualis libertatis ope-

De veritate q. 24. art. 3. ad 2.

rantis

rantis per voluntatem. Hanc esse Dei libertatem perspicuum est; quippe qui ea, quæ extra se vult operari, iudicat necessariam connexionem cum fine non sortiri, sed esse indifferentia. his enim non productis, posset alia innumera in finem gloriæ suæ dirigere, & creare. quæ autem facit, libere in eumdem finem ordinat, & producit. Quotiescumque ergo actus voluntatis ab indifferentia iudicij proficiscitur, semper erit liber, quamuis hunc actum nostræ voluntatis æternum immutabileq. Dei consilium præcedat, infallibilis prouidentiæ prædefinitio præueniat, phisicum Diuinæ gratiæ auxilium efficax voluntatem præparet, atque corroboret. Salua namque diffinitione rei, saluetur diffinitum necesse est. quandiu igitur indifferentia iudicij non tollitur, esse libertatem consequenter indubie fatendum est.

Manet

Manet post peccatum in homine liberum arbitrium, licet vulneratum, & infirmum. Cap. IIII.

PER Prothoparentis peccatum, quo vniuersi infecti sunt posteri, iustitia originali deperdita, amissa gratia, tota deordinata est humana natura: pars inferior sensualis superiori cepit auersari: hinc operandi tracta est difficultas, timor vanus, amor noxius, iniusta gaudia; pœnitenda consilia; hinc denique non minor miseriarum quam criminum multitudo defluxit. hinc ad virtutis bonum diminuta est inclinatio, non quidem quod secundum aliquam sui partem perierit. non enim quæ pertinent ad naturam, cuiusmodi principia sunt, quibus ipsamet constituitur, eiusdemque proprietates, ac potentiæ, ac similia, quæ ab ipsa natura oriuntur, ablata sunt. Hanc

nihilominus inclinationem, quæ ab humana natura eo quod rationalis eſt, proficiſcitur, aliquo modo minui confitemur. Conſideratur enim inclinatio hæc quaſi media inter duo extrema, oritur namque vt a radice, a natura rationali,& fundatur in ea: tendit autem in virtutis bonum, vt in finem. Per peccatum igitur impedimentum ponitur, ne perueniatur ad terminum. Et quo plura,maioraq. peccata committuntur, eo plura, & maiora interponuntur obſtacula, ne finis poſſit pertingi. Sic ergo minui inclinationem ad bonum aſſeueramus. Conſimili ratione aptitudinem naturæ rationalis ad recipiendam gratiam, interpoſitione peccati, minui opportet aſſerere. ſicut enim per aerem lumen ſolis diffunditur, ita gratia in animam. Peccata vero quædam impedimenta ſunt, & nebulæ, quæ interpoſitæ impediunt animam, ne gratiæ lumen ſuſcipiat. iuxta illud Iſaiæ, Iſaiæ 59. [peccata veſtra diuiſerunt inter vos, &

Deum vestrum.] omne enim impedimentum cuiuspiam formæ, seu perfectionis, non solum obstat, sed & subiectum, minus idoneum reddit ad suscipiendam formam. Maxime si obstaculum hoc sit aliquid actu, vel habitu inherens subiecto, tunc namq. fortius perfectionis, seu formæ susceptionem impedit. Quod manifestum est in quocumque mobili: quod impossibile est duobus motibus cõtrarijs moueri. Insuper sub vno motu existens, minus idoneum ad contrarium efficitur. Sicut etiam quod est calidum, minus aptum est, vt fiat frigidum; difficilius enim frigidi impressionem recipit. Ideo igitur peccatum, & gratiam excludit, animamq. minus aptam ad eam suscipiendam facit, ac consequenter naturæ bonum diminuit; atque in ratione, & voluntate, irascibilique, & concupiscibili naturam vulnerat. In his potentijs quæ subiecta possunt esse virtutum, peccatum præcipue suum virus euomuit. Quam-

uis totum hominem occupauerit. Rationem,in qua vigebat prudentia, imprudentia, ignorantiaq. circa agenda maxime, obnubilauit. Voluntatem, quam amor Dei ſuper omnia ad vrebat, amor ſui ſupra Deum, qui omnium peccatorum eſt radix,occupauit. Et qui vniuerſa in Deum dirigebat, proprium bonum aduerſus Deum, finem cunctorum conſtituit, prauaq. ad malum inclinatio ipſam faſcinauit. Iraſcibilem, quam fortitudo firmabat, deiecit infirmitas. Concupiſcibilem, quam temperantia honeſtabat, innumeris ſpurcitijs dehoneſtauit intemperantia. Atque dum vnus peccauit, qui caput totius extitit naturæ, in eo vniuerſi peccauimus, & ſanie vlcerum totam poſteritatem infecit. [Liberum tamen arbitrium poſt Adæ peccatum neque amiſſum eſt, neque extinctum.] Neque ſi in immenſum augeantur peccata, extinguetur. Sed præualet, vt ſingula poſſit peccata vitare,ſed non omnia. Ali-

Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 5.

quà bona moralia præſtare valeat, ſed non omnia. Infirmum enim eſt, & in hoc vel illo ex infirmitate deficiet; quouſque ſalubri medicina ſanetur, & roboretur.

Homo ſolius naturę viribus nequit a peccato in gratiam reſurgere niſi Chriſti Saluatoris gratia iuuetur.

Cap. V.

ADAE peccato, naturali fœdata Imagine Dei, quam in creatione ſuſceperat, ſupernaturali gratiæ omnino abolita, intelligentia obcæcata, voluntate captiua, in ſe vnde
Pſalm.77. poſſet reparari, non inuenit. [Homo namque ſpiritus vadens eſt, & non rediens.] Nec mirum, quoniam qui tot tantiſq; adminiculis ſuffultus non ſtetit, quonam
Hier.12. pacto ſolus adijciet, vt reſurgat? [ſi enim cum peditibus currens laborauit, quo-

modo poterit contendere cum equis? Cũ in terra pacis securus non fuerit, quid faciet in superbia Iordanis?] per prophetam ait Dominus, [insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum, curationum vtilitas non est tibi.] Quibus verbis satis exprimitur, totam naturam eiusq. remedia non esse ad reparationem animæ subiectæ peccato sufficientia. Triplex namq. detrimentum peccando incurrit, scilicet maculam, quatenus nitore gratiæ ex peccati deformitate priuatur. Secundo naturalis boni corruptionem, quatenus voluntate subtracta a subiectione Dei, tota hominis natura deordinatur. Tertio denique pœnæ reatum, quatenus mortale peccatum admittendo, damnationem æternam promeretur. Hæc autem omnia, nisi a Deo, reparari non possunt. Nam Dei gratia ex Diuinis luminis illustratione procedit, quæ nisi denuo illustrante omnino est irreparabilis, pœ-

Hier. 30.

nam nullus valet remittere, nisi Deus cui offensa illata est, & qui Iudex est omnium. Insuper voluntatem hominis Deo subijci est impossibile, nisi Deus illam ad se conuertat,& trahat. Dicente Domino, [nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.] Et D. Dionysius inquit, quod Deus conuertit omnia ad seipsum, sed homines iustos conuertit ad se sicut ad specialem finem, quem intendunt, & cui cupiunt adhærere quasi bono proprio. secundum illud [mihi adhærere Deo bonum est.] Quod nisi a Deo fiat, fieri non potest,] nec enim est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi illud nomen Iesus.] Hoc est Saluator. quod à Deo datum est, & a cœlo allatum; quippe, qui saluum facit populum suum a peccatis eorum. Et in Concilio Tridentino ita diffinitur, [si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per

Ioan.15.

De diuinis nominibus cap.2.

Psalm.72.

Actor.4.

sess.6. can.1.

Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.] [Ex Deo namq. & virtute eius nos sumus in Christo Iesu, ei coniuncti, & incorporati per gratiam, qui nobis factus est sapientia, cum nos facit sapientes, iustitia quatenus per fidem eius iustificamur, & sanctificatio, dum per eum Deo coniungimur, & redemptio, quoniam per Christum a peccati seruitute liberamur] vt si opporteat gloriari, non in nostra virtute, seu excellentia, sed in Domino gloriemur. Quia quos ad imaginem suam fecerat, in imagine sua refecit. & quos lumine vultus sui signauerat, candore lucis æternæ, figura substantiæ suæ, imagine sua sigillauit. Quando [misit illam de cœlis sanctis suis, & a sede magnitudinis suæ, vt mecum esset, meam naturam in diuini suppositi vnitatem assumendo, vnde resultaret Christus Deus & homo. Et qui expers laboris erat, mecum in mea natura laboraret, vt ego ab eo discerem, &

1. Cor. 1.

Sapien. 9.

ſcirem quid placitum ſit coram Deo omni tempore.] Verumtamen parum mihi Dei & hominis Chriſti magnitudo præſtitiſset, ſi dumtaxat in illo humanæ naturæ indiuiduo remanſiſset, neque ad nos vſque imbrem gratiarum, & virtutum, cæleſtiumq. bonorum theſaurum dignatus eſset diffundere. Audi mirifica. Ideo ſe Deum, & hominem Chriſtum, & bona ſua modo mirabili nobis contulit ad ſalutem; & dum amor illius facit ecſtaſim, cum extra ſe rapitur, & vnumquemque noſtrum inuitat dicens:
Cant. 2. [Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum,] vult quidem habitare per fidem, & gratiam in cordibus noſtris, ac virtutem etiam in corpus diffundere. Et qui ſpiritu conſtat, & carne: ſpiritum, & carnem noſtram vult ſigillare. qui autem creauit me ſine me, non iuſtificabit me ſine me. Ideo poſtulat, vt ponamus eum vt ſignaculum ſuper cor noſtrum. Ipſe

ſua

ſua gratia mentem eleuat, intellectum illuminat, voluntatem corroborat, ſenſitiuum appetitum temperat. [Ipſe dat nobis velle, & perficere, pro noſtra tamen bona voluntate.] Quam ſimul ipſe donat, vt velimus. Cui autem iſta donata ſunt, licet cum Apoſtolo dicere [mihi viuere Chriſtus eſt,] [& viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.] At vero quemadmodum ad imaginem Dei in natura creati ſumus, ita ad imaginem Chriſti, & Dei, in gratia recreamur. Vt bonis operibus proficientes, magis ac magis Chriſtum imitemur, & cum Apoſtolo dicamus. [Nos autem gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem tanquam a Domini ſpiritu.] Speculantes ſcilicet recipientes vt in ſpeculo gloriam Domini, hoc eſt filium Dei. quia [Gloria Patris filius ſapiens.] In eandem imaginem per eius contemplationem, & vitæ imitationem transformamur a clari-

Philipp.2. Philipp.1. Galat.2. 2.Cor.3.

tate in claritatem per virtutis, & gratiæ incrementa ducente nos, & agente spiritu Dei. [Deus enim qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.] Qui inquam a principio de tenebris lucem produxit, gratiæ lumen in cordibus nostris creauit, ad illuminandam scientiam, & cognitionem Dei operibus nostris, quibus faciem Christi oculis omnium referimus. Vt per reuerberationem eius, ex nobis quasi ex speculis, a cunctis intuentibas cognoscatur. Donec ab imagine gratiæ ad gloriæ perfectam imaginem perueniamus, & quiescamus in illo qui nos fecit ad se. Inspice igitur, & fac secundum exemplar quod in monte, idest, Christo, monstratum est tibi.

2.Cor.4.

Exodi 35.

Præter habitualem gratiam necessarium est homini auxilium speciale. Cap. VI.

CVM igitur nos Deus ad seipsum, vt ad finem nostrum beatificum supernaturalem destinauerit, ex hoc [magna, & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ.] Cuius intelligentiam a rebus naturalibus licet accipere. Gratia namq. naturam, vt exemplar imitatur. In rebus autem naturalibus ad alicuius finis assecutionem tria prærequiruntur. Scilicet natura proportionata illi fini, & ad eum finem, inclinatio, seu appetitus naturalis ad illum, & actualis motus in finem. Quemadmodum terra, quæ natura quædam est, cui competit esse in medio mundi, vnde procedit inclinatio, & propensio eius ad me-

2. Petr. 1.

D. Thom. de Verit. q. 27. art. 1.

dium, per vim extra ipsum connaturalem locum detinetur. Atque ideo si obstacula remoueas, statim in medium centrum vbi quiescet, mouebitur. Similiter homo naturæ suæ proportionatum finem sortitur. Qui iuxta Philosophorum sententiam, est aliqua diuinorum contemplatio, qualis est homini secundum naturæ facultatem possibilis. Ad quem finem connaturalem habet appetitum, & ad ipsius consecutionem naturaliter potest operari. Sed est alius finis, ad quem homo a Deo dirigitur, & præparatur; scilicet vita æterna, quæ in clara Dei visione consistit. Quæ cuiuscumque naturæ creatæ proportionem excedens; soli Deo connaturalis existit. Quare oportet hominem, (vt huic fini proportionetur) supernaturalem fieri. Primo igitur, ei gratia habitualis confertur, qua diuinum esse participat, qua & ipsa hominis natura in quandam dignitatem eleuatur, vt illa connaturalis beatitudo Dei, com-

D.Thom.1.2 q.110.per totum.

petat illi per gratiam. Qua, qui iacebat erigitur, qui infirmus erat, sanatur, debilis roboratur, & qui captiuus peccati diabolique sibi iacebat imperio, libertate donatur. Vt autem inclinetur affectus ad hunc finem, confertur charitas; Ad operum vero executionem, quibus talis finis acquiritur, reliquæ infunduntur virtutes. cœterum quibuscunque virtutibus, seu potentijs datis, non adest facultas operandi, nisi Deo illas mouente. Videmus enim in corporalibus, quod ad motum non solum ipsa forma requiritur, quæ principium est motus, seu actionis: sed, & necessarius est motus primi mouentis, quod in ordine corporalium est corpus cæleste. Vnde quamuis calor ignis sit perfectus, nunquam tamen calefaciet, nisi a corpore cælesti moueatur. Constat autem quod sicut motus omnes corporales ad motum cælestis corporis reducuntur, sicut in primum mouens corporale: sic vniuersi motus tam

Phisic. 8. tex. 28. & 1.

corporales, quam ſpirituales in primum mouens ſimpliciter reducantur, neceſſe eſt. Atque ideo quantumcunque natura aliqua ſiue corporea, ſiue ſpiritualis, perfecta ponatur, in ſuum actum prodire non poteſt: niſi a Deo moueatur. Non enim ſolum a Deo eſt omnis formalis perfectio, ſiue habitus ſit, ſiue potentia tanquam a primo actu quoad eſſe, & conſeruari dependens: verum etiam omnis actio ei tanquam primo mouenti ſubſternitur. Hinc eſt quod Iſaias dixit: Iſai. 26. [Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.] Et Chriſtus Dominus ait. Ioann. 15. [ſine me nihil poteſtis facere.] Et Apo- Philipp. 2. ſtolus inclamat. [Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate.] Conſtat igitur vltra gratiam habitualem neceſſariam eſſe motionem Diuinam, quæ nos faciat operantes: quam auxilium ſpeciale vocant Theologi.

Tri-

Triplex est auxilium speciale circa supernaturalia. Cap. VII.

NON expedit nunc in auxiliorum naturalium explicatione tempus terere; quoniam aliud generale est, quo Deus vniuersa quæ diligendo creauit, diligendo conseruat, mouet, & dirigit ad suum cuiusque finem. Aliud speciale, quo creaturam rationalem præ alijs dilectam specialiter agit, & gubernat. His prætermissis quæ rei præsenti parum conferunt, erga supernaturalia triplex reperimus auxilium: scilicet sufficiens, seu præueniens, tametsi efficax quandoq. dicatur præueniens, efficax iustificationem perficiens, subsequens perseuerantiæ. Auxilium sufficiens est, quædam diuina motio, qua homo iuuatur, ac disponitur ad gratiam iu-

ſtificantem. Atque ſi de externis auxilijs ſit ſermo, vt de prædicatione, & huiuſmodi, non dubium eſt, quin ſine audientis interna motione fieri poſſint. Cæterum ſi de internis loquamur, videlicet illuminatione, inſpiratione, pulſatione, ſeu interiori vocatione, ſine cooperatione noſtra fieri, eſt inintelligibile. Illuminare igitur Dei, nihil aliud eſt, quã intellectum noſtrum in aliquam bonam cogitationem excitare, & inſpirare voluntati, ſuggerere bonum motum. Cum igitur agere, & pati, mouere, & moueri, dicantur correlatiue, non poſſunt non eſſe ſimul. Et ex conſequenti cum Deus illuminat intellectum, ipſe intellectus lumen ſuſcipit. Et dum inſpirat voluntati, voluntas per illam inſpirationem mouetur. Nos autem non libere ad hos actus concurrimus, ſed quemadmodum cum ad malum vi tentationis rapimur, non eſt in noſtra ſitum poteſtate, quin tentationibus libertatem præuenientibus, vt

iaculis non præuiſſis, tangamur: quos motus Theologi naturales, ſeu primo primos appellant. Similiter intellectus noſter Diuina illuminatione, quaſi fulgure illuſtratur, & voluntas inſpiratione Dei abſque libertate in bonum concutitur. [Illucent fulgura Dei orbi terræ, vidct, & commouetur terra.] Homo itaque hanc repentinam commotionem, in ſe reuerſus, iudicio ac libertate refouens, dum bene operatur, ad introductionem gratiæ ſedis ponit: tametſi peccato mortali ſubiaceat. Si autem huiuſmodi corruſcationibus ſubitaneis, non bene vtatur, eas fouens, & conſeruans, facillime euaneſcunt, & tranſeunt. Auxilium efficax ſeu iuſtificans eſt quædam motio actualis adultorum gratiam concomitans, quia mouente non ſtat quin liberum arbitrium conſentiat, & animam ad gratiæ introductionem diſponat. Eſt enim vltima ad gratiam diſpoſitio, in genere cauſæ materialis prior, in genere au-

Pſalm. 96.

rem causæ efficientis, & finalis posterior: Atque ideo a sanctis Augustino, & Prospero Gratia creatrix bonorum operum conuersionis appellatur, quorum verba suo loco in medium proferam. Neque ideoq. Deo mouente ciemur, & impellimur, in nostro libero arbitrio vim patimur. sed eo mouente atque ducente, libertas nostra perficitur: dicente Christo Domino [si vos filius liberauit vere liberi eritis.] hoc egregie explicat D. Augustinus dicens: In potestate hominis est mutare in melius vitam, sed ea potestas nulla est nisi ab eo detur, de quo scriptum est, [dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ipse est qui fortem armatum atrium suum, scilicet animam captiuam custodientem, & in pace quæ possidebat habentem, fortior illo superueniens superat; arma in quibus confidebat aufert, & spolia eius distribuit.] Quibus autem armis, nisi hoc efficaci auxilio, de inimico parit victoriam? Nos quoque vin-

De Aug. lib. 1. Retract. cap. 22.

Io. 1.

Luc. 11.

cimus. nam id poſſumus quod per amicos poſſumus, ille in nobis vincit, nos per illum, & ex illo triumphamus. Ille voluntate ſua in nobis incipit, quod nos noſtro libero arbitrio auxilio ſuo proſequimur. hoc D. Auguſtinus elegantiſſime vnico verbo declarat dicens. [Deus quod operando incipit, cooperando perficit. & paulo inferius, vt ergo (inquit) velimus, ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur.] Sed quid eſt illud, vt velimus ſine nobis operatur? Numquid ſine nobis conſentientibus ad Deum conuertimur? abſit. Concilium enim Tridentinum ita definit, ſi quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo, ad obtinendam gratiam iuſtificationis, ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire ſi velit: ſed veluti in anima quodam nihil omnino agere, mereque

De gratia & lib.arb.c.17.

Seſſ.6.can.4.

D. Aug. de lib. arbi. cap. 2. lib. 3.
Arist. lib. 7. phisic. & 8.

passiue se habere, anathema sit. verbis igitur supradictis D. August. celebrem Theologis distinctionem aperit, qua gratiam in operantem, & cooperantem distinguunt. Quando enim voluntas, prima intentione ad finem mouetur, aliter agitur, quam dum ad eligenda media ex præuia intentione ad finem, inducitur. Nam cum voluntas alicui malo adhærescit, ab illo dimoueri non potest, nisi ab aliquo alio superiori motore mutetur. Libere tamen mouetur non aliqua vi, aut necessitate acquiescit. [Omne namque quod mouetur ab alio mouetur.] Atque ideo illa motio voluntati non tribuitur, quamuis liberum consensum præstiterit; sed mouenti. Cum autem intentione finis fuerit in actu constituta, iam tunc potest seipsam mouere: ac media ad consequendum illum finem expedientia eligere. Hoc igitur modo D. Aug. auxilium efficax gratiæ, quo a malo primum recedimus, & ad bonum conuer-

timur, gratiam operantem nuncupauit: Auxilium vero, quo habita intentione finis ad consequutionem eius operamur, & libere nos mouemus, gratiam dixit cooperantem. Quoniam primo gratia per auxilium nos agit, & illam sequimur coagentes, in secundo ipsi nos mouemus, & gratia per auxilium nobiscum cooperatur: hanc distinctionem amplectitur D. Thomas, & est communis Theologis. De auxilio autem perseuerantiæ, quod maximum Dei donum vocat Tridentina Synodus, scilicet quia efficaciter ad beatitudinis Regnum nos introducit, sic ab eadem synodo definitur. si quis dixerit, iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. vt autem clarius in re hac procedamus & omnis tollatur ambiguitas, Primum omnium, perseuerantiam illam, quam constituit Aristoteles habitum, per quem homo firmatur, ne per tristitias irruentes

D. Thō. 1.2. q.111. art.2.

sess.6.can.22

Lib.7.Ethic. cap.7.

ab eo quod ſecundum virtutem eſt, remoueatur, procul à præſenti conſideratione reijcimus. Similiter, & illa perſeuerantia ad rem hanc nihil faciens repellitur, quæ habitus quidam eſt, ſecundum quem homo habet propoſitum in bono perſeuerandi vſque in finem. Et hæ quidem virtutes ſimul cum gratia, & alijs virtutibus, infunduntur. Auxilium igitur perſeuerantiæ quod optimum in auxilijs ſortitur locum, tamquam omnium forma, eſt quædam vſque in finem vitæ boni continuatio, quod cum gratia habituali non infunditur, ſed illam ſupponit infuſam: qua ſuppoſita, homo iam iuſtificatus, hoc perſeuerantiæ dono indiget contra tentationum impulſus: ne tentationibus obrutus, & victus, a gratia diſcedat. Hæc autem doctrina difficilis quibuſdam viſa eſt, ſic dubitantibus. Si gratia ſanat animam, intellectum illuſtrat, voluntatem corroborat, frenat appetitum, ita vt homo iſtis munitus præ-

sidijs vniuersa possit mortalia vitare pec-
cata, & quodcumque virtutis opus ag-
gredi: quid alio auxilio ad perseueran-
dum opus est? Aduertat, qui huiusmo-
di hæsitationibus implicatur, quod ho-
mini per gratiam iustificato, quamuis
hæc omnia concessa sint; immo, & posse
in bono perseuerare, præstetur: verum-
tamen perseuerare, per illam gratiam
non conceditur. Quemadmodum au-
xilium præueniens sufficiens est ad sa-
lutem: non tamen per se solum potest
salutem assequi, nisi ei efficacis auxilij
lumen affulgeat. Sicuti potentia visiua
etiam dum quis clausos habet oculos,
sufficiens est ad videndum, non tamen
per se sola videre valet, nisi oculos ape-
riat, & ei luminis adsit facultas. Qui er-
go lethali culpæ subiacet, bene sufficienti
vtatur auxilio; & presto aderit auxilium
efficax; & cum eo gratia iustificans. Fa-
cienti enim quod in se est auxilio suffi-
cienti, Deus non denegat gratiam. Si-

militer cum iustificatus fuerit homo perseuerandi habet potestatem si velit, velle autem, sine dono perseuerantiæ, non inueniet. Primus Adam peccatum non admiserat, cum ei gratia donata est; in sua creatione iustitiam originalem obtinuit, qua titilantes sensualis appetitus incursus non sensit, omnis inferioris partis rebellio procul abfuit. Angelorum ministeria bona suggerentium ei astitere; gratia, qua posset bonum velle, & in eo persistere vsque in finem si vellet, concessa est. [Reliquit tamen cum Deus in manu consilij sui, & abusus est potestate. Deseruit Deum, & desertus est. Post peccatum, homo cum carne & mundo, & cum principibus tenebrarum colluctatur; vndique ei bella, vndique tela, vndique fulgurant tentamenta. Quamuis igitur diuina gratia suffultus existat, quomodo suo libero arbitrio commisus in bono persistet, nisi ei perseuerantiæ donum quo actu perseueret, diuina largi-

Aug. lib. de correct. & grat. cap. 11.

tate donetur? Quo qui recipit, impeccabilis redditur, se autem impeccabilem facere, humanæ voluntati, & naturæ, est impossibile, quantacumque habituali gratia super abundet. Quod D. Thom. elegantissime probat quinque argumentis, quorum primum hoc est, omne quod ex se est variabile, adhoc, quod figatur in vno, indiget auxilio alicuius mouentis immobilis. Homo autem variabilis est de malo in bonum, & a bono in malum. Adhoc igitur quod immobiliter firmetur in bono, quod est perseuerare: indiget auxilio Diuino. Et quomodo certa, diuina prædestinatio consistet, si vltimus illius effectus, qui est in gloriam introductio, hominis mutabili commitatur arbitrio? Vt igitur Diuina voluntas circa prædestinatos fida, firmaq. permaneat, & immobilis perseueret, ipsas quoque prædestinatorum voluntates circa finem vitæ in bono reddat immobiles, necesse est. Quod perseuerantiæ facit auxilium,

Lib. 3. contra gentes cap. 155.

immutabilem boni continuationem vſque ad finem vitæ, ſecum adducens. Ea namque perſeuerantia, quæ temporalis eſt, neque ad finem vitæ perducit, vix perſeuerantiæ nomen meretur. Vera namque perſeuerantia Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, natura iuſtum effecit, Beatiſſimam Virginem Mariam eius matrem perpetuo ſanctam cuſtodiuit: & cum prædeſtinatis omnibus adultis in vitæ finem, atque in ipſa æterna beatitudine perſeuerat. Quia ergo quando nobis hoc donum diuina prouidentia conferatur, ignoramus: opportet ſemper orare, & non deficere, cum Propheta dicente. [Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.

Pſalm. 16.

uaricatores puniret, nisi auxilia sufficientia prouidisset? nemo namque potest ad impossibile obligari. Ad quid Diuinæ scripturæ ad pœnitendum exortationes, malefactorum correctiones, pœnarum comminationes, bonorum promissiones, si auxilia sufficientia quibus bona prosequi, & mala vitare possemus, minime donarentur: quibus nos adiutos libero nostro arbitrio relinqueret? Iuxta fidei ergo documenta tenendum est, omnem in vniuersum hominem, cui rationis lumen affulsit, posse salutem adipisci. Omnibus namque sufficientes suppetias confert, quibus hanc obtineant potestatem: qui ijs autem careret, ad salutem conari esset impossibile. In probationem huius rei Concilij Tridentini sententiam subijciam, sic habentis. Præterea ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum est, hoc est ab eius vocatione, quo nullis eorum exi- Sess.6.cap.5.

stenti-

ſtentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata a Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe, ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando, diſponantur. Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtificationem coram illo libera ſua voluntate poſſit. vnde in ſacris
Zachar. 1. litteris cum dicitur, [conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,] libertatis noſtræ admonemur. Cum reſponde-
Irenn. 5. mus [conuerte nos Domine ad te, & conuertemur] Dei nos gratia præueniri confitemur. Vniuerſa igitur quæ ad iuſtificationem diſponunt, a Dei gratia præueniente oriuntur. Nos autem libere eum vocantem, & mouentem ſequimur, & gradibus quibuſdam a minori-

bus ad maiora conſcendimus. erit igitur gradus infimus, cum aliquis ſuper naturalem fidem ignorans, circa naturalia quæ agenda ſunt, illuminatur: in quibus maxime per peccatum quibuſdam ignorantiæ tenebris obſcuratur. Voluntas infirma, & vulnerata, ſupra naturam ſuam inſtigatur, vt naturæ legem obſeruet, & ad diuinum bonum naturaliter cognoſcibile ſe conuertat. Quod ex D. Thom. colligitur vbi ait [quod omnis qui venit ad vſum rationis, tenetur pro tunc ſe conuertere in Deum. quod ſi fecerit, iuſtificabitur.] Vnde ſequitur, quod datur ei auxilium ſupernaturale ad implendum illud præceptum. ſiquidem illud commune proloquium, facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, debet intelligi, ſi illud faciat auxilio ſupernaturali: ſi autem non fecerit excuſationem non habebit de peccato ſuo. Et quidem ſi bene hoc auxilio ſupernaturali vſus fuerit, de obiecto ſuper-

1.2.q.89.art. 6.

D. Thom. de verit. q. 14. art. 11. ad 1. & 2.

naturali illuminabitur. Cum enim non
simus sufficientes cogitare aliquid à no-
1. Cor. 3. bis quasi ex nobis,] Deus nobis cogitatio-
nem bonam inspirat. qua Deum con-
templari; & peccatum nostrum valea-
mus agnoscere. quam Deus in nobis sine
nobis operatur, quoniam ad eam haben-
dam nihil agimus, sed illam nobis mere
gratis immittit: dum peccatum nostrum
nostro obijcit conspectui. Hæc autem
cogitatio, magis intellectu, quam affe-
ctu perficitur. Præualet enim intellectus,
& nullus, aut tardus affectus subsequitur:
Considerat peccator culpæ suæ enormi-
tatem, Dei iustitiam, æternæ fœlicitatis
gloriam, Dei liberalitatem, & miseri-
cordiam, & consimilia. His alter gra-
dus succedit. Quo iam, licet homo pec-
cato subiaceat, timere incipit, & spera-
re, diligere, doloreq. de peccatis admis-
sis, ab alijs se abstinere, veniam petere,
alienum restituere, eleemosinas ex pro-
prio largiri, corpus castigare, & alia

etiam

etiam meliora conari. Quamuis autem hominem his desiderijs, & initijs æstuantem, bonam sortiri voluntatem dicamus, non tamen hæc est illa bona voluntas, qua bene viuitur. Hæc enim non nisi cum gratia iustificaute nobis infunditur. semper autem a communioribus ad magis specialia auxilia erit progressio. ita tamen, vt [per singulos gradus meos pronunciem illum,] a quo vniuersi proficiscuntur. Si autem modum & ordinem huius dispositionis nosse desideras, audi Patres Tridentini Synodi ita dicentes. [Disponuntur autem ad ipsam iustificationem, dum excitati a Diuina gratia, & adiuti, fidem exauditu concipientes libere mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt. atque illud imprimis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, & tamen peccatores esse intelligentes ac Diuinæ iustitiæ timore quo vti-

Iob. 31.

Conc. Trid. sess. 6. cap. 6.

liter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt. ac propterea mouentur aduersus peccata, per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quæ ante Baptismum agi oportet. Denique proponunt suscipere baptismū, inchoare nouam vitam; & seruare mandata diuina. De hac dispositione scriptum est, [accedentem ad Deum oportet credere quia est; & quod inquirentibus se remunerator sit.] [Et confide fili remittuntur tibi peccata tua.] [Et timor Domini expellit peccatum;] [& pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.] [Et euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes

Hebr. 11.
Matth. 9.
Eccles. 1.
Actor. 1.
Matth. 28.

eos

eos seruare quæcumque mandaui vobis.] [Denique præparate corda vestra Domino.] His succedit illud auxilium efficax a gratia habituali procedens quasi instrumentum quod in nobis, & nobiscum, volentibus, & libere cooperantibus, opera iustificationis operatur. Audi sponsam in Canticis canticorum dicentem. [Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Et illa respondet. Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ stillauerunt myrram, & digiti mei pleni myrra probatissima. Pessulum ostij aperui dilecto meo.] Vbi Spiritus sanctus introducit animam peccato subiacentem,

1. Regum 7.

Cant. 5.

& tamen verba ſponſi ſui pulſantis, & vocantis, agnoſcentem, & conſiderantem. Quibus petit, vt peccatorum tollat repagula, ac peſſulos deſideriorum carnis auertat, vt intret ad eam. ſufficientia illi proponit auxilia. Primo ſororem vocat, quoniam eam ſui Regni cohæredem fecit: Amicam appellat, quam captiuitate fugata ad ſui pectoris admiſit arcana. Columbam nominat, quam effuſione ſanguinis ſui ſanctificauit. Immaculatam dicit, quam omni peccatorum macula, & neuo, pendens in Cruce pectoris ſui aqua mundauit. Sponſæ ingratitudinem ipſi obijcit, dum inquit, caput meum, ſiue capilli capitis mei, ea ſcilicet quæ a Deo profluunt, & per quæ commendari ſolet; ſcilicet gratiæ Chriſti merita, plena ſint rore. Quia prauorum operum ſponſæ pruina frigeſcunt, & deturpantur, peruerſisq. doctrinis; quaſi guttis noctium obſcurantur. Cœterum his tacta ſponſa, quamuis ea ruminet, &

ad ſponſi vocem aliquantulum liquefiat, non tamen aperit. ſed delectationibus carnis detenta, vt non aperiat friuolas ac inanes excuſationes annectit. Sponſus igitur ſponſæ moras non ſuſtinens, manum mittit per foramen, vt peſſulum oſtij remoueat; auxilio efficaci mouet cor illius. Tunc tremunt ſponſæ viſcera ad tactum eius. ſurgit a peccato; aperuit ſponſo, ab eo autem adiuta, & præmota. Manus eius ſtillauerunt myrram, & digiti pleni myrra probatiſſima. per manus operatio, per digitos diſcretio, per myrramque pœnitentia deſignatur. Dum ergo conuertitur, & ſponſo ſuo oſtium aperit, amaram, & diſcretam peragit pœnitentiam: perquam & auxilium, & gratiam acceptat. Quodlibet ergo auxilium præueniens ſufficiens ad iuſtificationem in ordine ſuo conſiſtit. itaque ſi homo bene vtatur eo, & ſubſequentibus, gratiam iuſtificantem attinget. ſi autem illo non bene vtitur, tamquam indignus

nullum

nullum ſuperius conſequetur. neque hoc auxilij ſufficientiam tollit: ſicut cibus ad vitæ conſeruationem ſufficit; ſi autem quis non vult comedere, non ex hoc cibus inſufficiens iudicabitur. Similiter, qui habet intellectum, intelligere poteſt: ſed ſi mentem ad intelligendum applicare renuit, non intelliget. Et tamen ſine motione Dei nec intelligere, nec mentem valet applicare. Quis autem ex hoc, intellectum illius inſufficientem ſentiat. Pari ratione quolibet auxilio ſufficienti poteſt homo ſaluari. ſi tamen non iuſtificatur, non eſt auxilij culpa, ſed ſua: quia cum poſſit, non vult iuſtificari. Eſt inſuper auxilium hoc ad gratiam habitualem diſpoſitio. ſicut enim ignis dum intendit formam ſuam in lignum introducere, infimum ab ipſa diſpoſitione ſumendo principium, diſponit, paulatimque ſubiectum a contrarijs qualitatibus per ſuas contrarias purificat qualitates, vſque ad introductionem formæ præua-

lendo. Cum autem forma introducitur, ſecum proprias diſpoſitiones, quas vltimas Philoſophi vocant, inducit. ſic Deus cum pro beneplacito voluntatis ſuæ vult animam iuſtificare, ad introductionem gratiæ, quæ forma quædam ſupernaturalis eſt, per auxilia ſufficientia, ſuper naturalia tamen, & formæ proportionata, eam determinat, & imperfecto quodam modo diſponit. In introductione autem gratiæ, ſimul efficax auxilium infundit, quod eſt vltima ad gratiam diſpoſitio. Hæc de lege ordinaria, & communi gratiæ ſint dicta. Deus namque cum infinitæ virtutis ſit, hiſce legibus non alligatur. Sed quemadmodum in naturalibus, quædam ſupra naturæ ordinem miraculoſe operatur, cœcos illuminando, mortuosq. ſuſcitando: ſic præter communem ordinem gratiæ, in oſtenſionem immenſæ miſericordiæ ſuæ, quoſdam peccatores repente, & miraculoſe iuſtificat. [Facile enim eſt

Eccleſ. 11. in oculis Dei, ſubito honeſtare pauperem.] Reſpexit enim Dominus Petrum, & quem inuenit negantem, reddidit pœnitentem, & amare lachrimantem. quod elegantiſſime docet D. Tho-
1. 2. q. 112. artic. 2. ad ſec. mas dicens: Sed quandoque ſtatim perfecte mouet Deus hominem ad bonum, & ſubito gratiam homo accipit, ſecundum illud Ioannis, [omnis qui audit a
Ioan. 6. Patre, & didicit, venit ad me.] Et ita contigit in Paulo. quia ſubito, cum eſſet in progreſſu peccati, perfecte motum eſt cor eius a Deo, audien-
3. contra gẽtes cap. 161. do, & addiſcendo, & veniendo, & ideo ſubito eſt gratiam conſecutus.

Sine auxilio efficaci gratiæ homo nequaquam poteſt ad Deum conuerti. Cap. IX.

IAM hucuſque ventum eſt, vbi nobis non ſolum ratione, ſed & fide cum aduerſarijs eſt colluctatio. Atque imprimis poſt Pelagium, ſe ſe offerunt Galli, quos in Prohemio citauimus. Qui tenuerunt, quod gratia neceſſario danda ſit, quæ voluntatem iam operantem iuuet, non quæ in ea operetur vt velit. De quorum errore D. Proſper Aquitanicus D. Auguſtini opem contra eos expoſcens, epiſtolam ad eumdem ſcribit. vbi quid illi ſenſerint, ita recenſet. quantum (inquiunt,) quiſque ad malum, tantum habet facultatis ad bonum, parique momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutes mo-

uere. Quem bona appetentem gratia Dei foueat, mala sectantem, damnatio iusta suscipiat.] Et paucis interiectis, [nec considerant (inquit) se gratiam Dei quam Comitem, non præuiam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam Phantasiam non negant esse præuentas.] Similia scribit Hilarius de eisdem D. Augustino dicens. [Nec negant gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat. Non autem quicquam ipsa iam valeat. nam illa testimonia, vt est illud] sicut vnicuique partitus est mensuram fidei, [& similia, ad id volunt valere, vt adiuuetur, qui ceperit velle, non vt etiam donetur vt velit.] Errorem hunc Cœlestinus primus damnauit, cuius extat Epistola Decretalis, quæ etiam inter opera Prosperi versatur. Cuius verba in calce Epistolæ, quæ litteris forent aureis exaranda, nullatenus hic prætermittenda

Epistolæ Prosperi & Hilarij habentur tõ.7.D.Aug. ante lib. de prædestinat. sanctorum.

censui: [His ergo (inquit Summus Pontifex) Ecclesiasticis regulis, & ex Diuina sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino conformati sumus, vt omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumq. virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere: quo vtique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur. Vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente fit prouidum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus: neque otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda

donauit. vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei. Ac si quid in nobis ex nostra viderimus infirmitate languescere, ad illum sollicite recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram, & cui quotidie dicimus ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo.] Ecce quomodo acuto gladio veritatis ex Diuina auctoritate desumpto, totam aduersariorum Doctrinam membratim amputat, vbi inquit, non dubitandum vniuersa hominis merita a Dei gratia præueniri, qui facit, vt aliquid boni incipiamus velle, & facere. & quod per hoc non tollitur liberum arbitrium, sed liberatur. & ipse in nobis agit, vt velimus, & agamus, quod vult. Huic sententiæ obstitit, & Leo Primus, qui aduersum alios Gallos Concilium Arausicanum secundum coegit: & Cælestini Canones in illud transmisit. quibus iterum eumdem errorem extra Ecclesiam exterminauit, contra quem etiam

D. Augustinus præcibus Prosperi & Hilarij acquiescens, libros de prædestinatione sanctorum, & de bono perseuerantiæ, iam senior mira eruditione refertos conscripsit. quibus non obstantibus, huic sententiæ Gallorum his temporibus multi Theologi doctrina, & religione præclari, denuo videntur acquiescere, & subscribere. Qui primo tenent, quod nullum datur auxilium gratiæ efficax, quod ex modo motionis Diuinæ, atque ex Deo ipso habeat efficaciam. Neque oppositum (inquiunt) salua fide sustineri potest. Dicunt secundo diuisionem auxilij, in efficax auxilium, & inefficax, ab effectu desumi, non ab auxilij natura, & conditione, qui effectus ab arbitrij libertate dependet. Illud enim efficax dicitur, quo arbitrium pro sua libertate conuertitur, illud vero inefficax appellatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non conuertitur, cum tamen potuerit conuerti. Itaque docent in no-

ſtra ſitum eſſe libera poteſtate, auxilia efficacia reddere, & in efficacia. Denique aſſeuerant cum auxilijs ex parte Dei, cum quibus vnus iuſtificatur, & ſaluatur, alius pro ſuà libertate eiſdem nec iuſtificatur nec ſaluatur. nec dubitandum eſt multos torqueri apud inferos, qui multo maioribus auxilijs ad ſalutem a Deo donati fuerunt: quam multi, qui in cœlo diuino conſpectu fruuntur. ſed quod hi cum maioribus auxilijs prædeſtinati, & ſalui non fuerint: illi vero cum minoribus prædeſtinati, & ſalui fuerint, non aliunde fuit, niſi quia illi pro innata libertate noluerunt ita vti ſuo arbitrio, vt ſalutem conſequerentur æternam, hi vero maxime. neque (inquiunt) concurſus Dei generalis, eſt influxus Dei in cauſam ſecundam, quaſi illa prius a Deo mota agat, & producat ſuum effectum: ſed eſt influxus immediate cum cauſa in illius actionem, & effectum. Totus igitur effectus productus & a Deo eſt, & a

causa secunda. sed neque a Deo, neque a causa secunda: vt a tota causa, sed vt a parte causæ: non secus ac cum duo trahunt nauim. Quibus suppositis constat hos Theologos tenere voluntatem in operando, gratiam præcedere: quam etiam ad effectum determinat, & ex innata sibi libertate effectum operari, quantum est ex sua parte, quamuis post modum a gratia voluntas iuuetur. id ipsum dixerunt Galli. quod patet ex dictis Prosperi, & alijs iam inductis, quod magis manifestat idem Prosper in eadem Epistola inferius ita dicens. [Cum in his, qui tempus acceperunt libere voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia: priorem voluerunt esse obedientiam, quàm gratiam; vt initium salutis, ex eo qui saluatur, non ex eo credendum sit, stare, qui saluat. Et voluntas hominis Diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subijciat voluntatem.]

Hæc ipſa iſti Theologi docent, vt vnicuique legenti ſupradicta, conſtare poterit. Canones autem Arauſicani Concilij ſuo tempore, & loco, aduerſus hanc ſententiam in medium proferam.

Auxilij efficacis neceſſitas ſacræ ſcripturæ teſtimonijs comprobatur. Cap. X.

VT in re difficili perſpicua ſit diſputatio, ante omnia præmittendum eſt, nobiſcum, aduerſæ ſententiæ aſſertores in hoc conſentire, quod in conuerſione peccatoris ipſum velle acceptare gratiam ſimul a gratia, & a libero hominis arbitrio naſcitur. Itaque nullum inſtans temporis excogitari poteſt in quo vnum ſine altero valeat reperiri. Sed ſecundum aliorum ſententiam ſimul concurrunt ad effectum gratia, & liberum arbitrium; partialiter

tamen , itaque non eſt effectus a gratia , vt a tota cauſa , ſimiliter nec a libero arbitrio, ſed ſecundum partes ab vnoquoque . in hoc autem congreſſu cauſarum partialium in effectu neutra alteram mouet . Si autem loquamur de inſtanti naturæ , prior eſt voluntas , quam gratia . niſi enim incipiat operari voluntas , gratia nequaquam operabitur , vnde liberum arbitrium gratiam præuenit operando . Cœterum contrariam ſententiam nos tuemur, ſcilicet gratiam priorem mouere voluntatem , & in eam agendo præuenire . Itaque quemadmodum in eodem inſtanti ſpecies viſibilis mouet potentiam viſiuam , vt videat , & ipſa viſiua potentia elicit actum videndi, in priori autem inſtanti naturæ , ſpecies viſibilis mouet , & in ſecundo potentia viſiua videt ; quia illa huius eſt cauſa . Similiter in preſenti , in eodem inſtanti temporis , volitio conuerſionis a gratia eſt, & a libero arbitrio . Cœterum gratia prior eſt

prioritate naturæ, & causalitate, mouet enim voluntatem ad agendum, quod & probare contendimus, nullatenus scilicet posse hominem in iustificatione sua gratiam præuenire, seu prædeterminare volendo; sed præueniri, & prædeterminari, ac præmoueri, præparariq. per gratiam: Ita vt nostrum velle totum sit Dei, & quamuis a nostra oriatur voluntate elicitiue, esse tamen a Deo originaliter, a quo bona cuncta procedunt. Itaque si ponatur dum ex duobus æquali gratia affectis, vnus conuertitur, alio in suo peccato permanente: & quæratur, quare ille conuertitur, & iste non conuertitur: nequaquam dicendum est, quod ex innata libertate ille voluit conuerti; sed quoniam ille maiorem gratiam suscepit, qua Deus dedit velle, & perficere pro bona voluntate. Hæc vera, & Catholica confessio est. quod patet ex Paralip. Vbi cum
2.Paralip.30 Ezechias, & Principes eius misissent Epistolas in vniuersum Israel exortantes, vt

vniuersi reuerterentur ad Dominum, & non fierent sicut Patres eorum, & fratres, qui ab eo recesserant, nec indurarent ceruices suas, sicut & illi; sed seruirent illi, quia pius & misericors est Dominus, vt auertat iram furoris sui. & subditur paucis interpositis: [In Iuda vero facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum Regis, & Principum eius, verbum Domini.] Ecce a filijs Iuda petitur, vt ad Deum conuertantur; non tamen ista conuersio soli suæ innatæ voluntati relinquitur, sed operatus est Dominus in eis, (hoc enim manum Domini factam in ipsis, significat.) Quid autem operatus est? Nimirum, cor vnum, scilicet vnum velle, & perficere verbum Domini: vbi manifeste Deus eorum præuenit voluntates, & præparauit, vt ad ipsum conuerterentur?

De eisdem filijs Israel, qui a Deo recesserant, ait Dominus per Ezechielem Prophetam: [Dabo vobis cor nouum, Ezechiel. 36.

& Spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.] Quid est auferam a vobis cor lapideum, & dabo cor carneum, nisi inuertam voluntatem vestram, vt quæ durissima est, nec cedit tactui legis meæ, mollis fiat, & præceptis meis cedat, & obtemperet? & faciam vt iudicia mea custodiatis, & operemini: meum igitur facere, vestrum præueniet. & meo auxilio stimulabo vos, & ipse in voluntate vestra faciam, vt bona faciatis.

Hester 14. Quid est autem quod Hester illa Regina orat, & dicit [tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu Leonis, & transfer cor illius in odium hostris nostri?] vt quid ista in oratione dicit Deo, si non operatur in cordibus hominum voluntatem? sed forte hæc mulier insi-

pienter orauit? Videamus ergo vtrum inaniter præmissus fuerit orantis affectus, & consequutus non fuerit ex audientis effectus. Ecce ingreditur ad Regem, & quia non ordine suo ingrediebatur, magna necessitate compulsa, intuitus est eam (sicuti scriptum est,) velut taurus in impetu indignationis suæ. Timuit Regina, & conuersus est color eius per resolutionem, & inclinauit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam, & conuertit Deus, & transtulit indignationem eius in lænitatem. Hoc Diuina scriptura testatur Deum compleuisse, quod illa rogauerat in corde Regis, quod efficacissima, & occultissima potestate conuertit, & transtulit ab indignatione ad lænitatem, quod est de voluntate lædendi, ad voluntatem fauendi. Secundum illud Apostoli. [Deus est enim qui operatur in vobis & velle.] Deus igitur efficacissimà suà potentia voluntates nostras agere, & ad se potest conuertere. Philippen.2.

lib. con. duas litteras Pelag. cap. 20.

D. Augustinus his testimonijs conuictus est, vt asseueraret, hoc verum esse non coniectura suspicari humana, sed euidentissima diuinarum scripturarum auctoritate dignoscere. sed & hoc verissimum esse, Isaiæ testimonium manifestum facit: inquit enim, [erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.] [Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.] Quid est mane Deum erigere aurem & aperire, nisi omnem operationem anteuertere. ipse desiderium audiendi verbum Dei excitat, auditum præstat, obedientiam operatur. [Sic Dominus aperuit cor lidiæ purpurariæ, attendere ijs quæ dicebantur a Paulo] & in Euangelio loquens Iesus Phariseis dixit, [qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.] non ait qui verba Dei audit, ex Deo est. non est enim prius verba Dei audire, quam ex Deo esse. Sed econtra quia nimirum,

Isaiæ 50.

Actor. 16.

Ioann. 8.

verba

verba Dei audire non possumus, antequam ex Deo simus. Si ergo prædestinati sumus, si in gratiam Dei, & amicitiam attracti, ipsius verbis acquiescemus. [Amicus namq. sponsi audit vocem sponsi, & gaudet propter vocem sponsi.] audire igitur cum gaudio vocem sponsi eidem obtemperando, amici est, qui iam, vt audiret, accepit. [Non enim potest homo accipere quidpiam, nisi ei fuerit datum de cœlo. Itaque oblatam gratiam recipere, non nostræ facultatis est, sed Dei præsidium hoc præstat, iuxta verbum Ioannis Baptistæ. [Nemo potest recipere quidpiam nisi Deus dederit] scilicet vt recipiat. idipsum docet Apostolus dicens. [Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.] Quantum distant hæc a placitis contraria tenentium, qui astruere non verentur, hominem ex sola innata sibi libertate diuinæ gratiæ consentire, & se ad illam vltima dispositione præparare? nec aduersari timent Prophe-

Ioann. 3.

Ibidem.

Philippen. 2.

tæ, immo, & Deo per Prophetam dicenti, [consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.] omnia igitur quæ Deus consilio suo determinat, & sua voluntate absolute decernit, a suo consilio & voluntate stabilitatem, & infabilitatem accipiunt. Detur ergo, quod Deus decreuerit me iustificare hic & nunc, & infallibiliter, & ineuitabiliter ita erit. Igitur non pendet a mea sola libertate variabili iustificatio mea. quomodo enim staret consilium Dei? aut quo pacto verum erit, quod in sacro eloquio alibi dicitur. [Domine Rex omnipotens inditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati; si decreueris saluare Israel?] Cum ergo decreuerit me saluare, si sola hoc mea libertate agendum est, nonne pro meo libito Diuinæ resistam voluntati, atque illius consiliũ reddam inane? proinde vt firmum stet consilium Dei, quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit illos efficacissi-

Isaiæ 46.

Hester. 13.

Rom. 8.

mis auxilijs præparando, & ſancti Spiritus peculiaribus ſtimulis agendo, iuſtificauit. [Si Deus pro nobis quis contra nos? quis ſtabit aduerſus electos Dei?] ſi autem ipſe noſtram deſerat voluntatem, & illam ſuo committat arbitrio, in præceps ruat neceſſe eſt. neque in ſua natura inueniet, vnde in ſublime ſe valeat erigere, aut aliquid de ſublimi, mente reuoluere. [non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] ſi nequit ex ſe cogitare, quod minus eſt, quàm cupere, ſi nequit ex ſe cogitare quod minus eſt quam credere, quomodo ex ſe poterit cupere? quomodo credere? Immo vero vniuerſali negatione Deus cuncta, quæ perfectionis ſunt naturæ ſubtraxit, niſi illius adſit ſubſidium, [ſine me (dicens) nihil poteſtis facere.] & Apoſtolus ait, [nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in ſpiritu Sancto.] nullus (inquit) hominum valet Ieſum Dominum

2. Cor. 8.

Aug. contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 2. cap. 8.

Ioan. 15.

1. Cor. 12.

ore confiteri, corde venerari, atque opere obtemperare. Quod est dicere Dominus Iesus, nisi Spiritum Sanctum in se per gratiam obtineat. Audiant aduersa tenentes sponsam in Canticis Canticorum, sponsum eloquentem, & petentem, non vt ad se ducat, quasi iam volentem, sed vt trahat, quasi antea nolentem: [Trahe me (inquit) post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.] a sponso profecto trahimur, dum efficaci motione præparamur. post eum currimus, dum libera nostra voluntate trahentem sequimur. Si nos pro nostra innata voluntate volendo, & bene operando præuenimus Deum: profecto nos eum, vt nobiscum cooperetur, trahimus: non ipse nos trahit. Quod etiam contradicit Apostolo dicenti. [non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis,] dum explicat hæc D. Anselmus, cum dixisset, fuerunt quidam superbi, qui totam efficaciam in sola libertate arbitrij consistere

Cant. 1.

Rom. 9.

De grat. & lib. arb. ca. 3.

ſunt arbitrati, poſtmodum adiecit, loquens de conuerſione peccatoris in Deum: Totum imputandum eſt gratiæ; quia neque volentis eſt quod vult, neque currentis quod currit, ſed miſerentes eſt Dei. omnibus enim, excepto ſolo Deo, dicitur: [quid habes quod non accepiſti?] ſicut ergo illam rectitudinem nemo accipit, niſi gratia præueniente, ita nullus eam conſeruat, niſi gratia ſubſequente. Cum legitur, neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non negatur in volente, neque incurrente aliquid prodeſſe liberum arbitrium, ſed ſignificatur, non eſſe imputandum libero arbitrio, quod vult, & quod currit, ſed gratiæ. Nam cum ait, neque volentis, neque currentis eſt, ſubaudiendum eſt, quod vult, & quod currit. Hucuſque D. Anſelmus. Cuius ſententia quamuis omnem machinam aduerſariorum euertat, adhuc tamen reſpondere nituntur dictis Apoſtoli, ac dum maiori cura ſe extricare

contendunt, ſtrictioribus nodis implicantur. Verumtamen, non mirum, ſi vno dato inconuenienti, plura ſequantur. Dicunt igitur in conuerſione peccatoris Diuinum auxilium, & liberum peccatoris arbitrium partialiter operari. Quemadmodum de duobus trahentibus nauem diximus, qui ad eumdem effectum colaborant, neuter alteri autem preſtat virtutem, neuter mouet alterum, ſed vnuſquiſque intractione nauis pro ſuis deſudat viribus. Sic aiunt, dum peccator ad Deum conuertitur, Deus non mouet hominem, vt conuertatur, neque homo diuinæ cauſalitati ac motioni ſubſternitur, ſed ambo ex parte ad effectum conuerſionis nituntur. Et iuxta hunc dicendi modum, Pauli verba interpretantur, ſcilicet [non volentis, neque currentis ſed miſerentis eſt Dei.] non eſt ſolius volentis, neque ſolius currentis, ſed ſimul Dei miſerentis. Verumtamen hoc ſubterfugio dictis D. Anſelmi non ſatisfaciunt. &

eos pressius vrget D. Augustinus dicens. Si propterea dictum, [non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei,] quia id voluntas hominis sola non implet; cur non econtrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis? Quia id misericordia Dei sola non implet. Sicut ergo nullus Christianus dicere audebit, non est miserentis Dei, sed volentis hominis: necesse est, vt propterea recte dictum intelligamus, [non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,] vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. ita sane vt bona voluntas annumeretur inter dona miserentis Dei. iuxta illud, [misericordia eius præueniet me,] huiusque D. Augustinus, sed & sapiens hoc ipsum docet in prouerbijs dicēs. [Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.] Cuius voluntas ita libera, & assueta dominari, atque voluntas Regis?

in Hēchirid. cap. 32.

Psalm. 58.

Prouerb. 21.

[qui si subditis dixerit, occidite, occidunt: dixerit remittite, remittunt: dixerit percutite, percutiunt: dixerit exterminate, exterminant: dixerit ædificate, ædificant: dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant: & omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt.] Si ergo cor Regis quantumcumque indomitum & effrene in manu Dei est, vt quocumque placuerit ei, vertat illud, & a malo in bonum inclinet, quanto magis, pro suo beneplacito mentes, ac voluntates subditorum doctas obedire, ciebit. Et Apostolus Deum nostræ bonæ operationi initium, perseuerantiamq. præstare ad Philippenses ita scribens confirmat. [qui cœpit (ait) in nobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu.] Innumera possemus Diuinæ scripturæ alia testimonia congerere, quibus veritatem hanc probaremus. Sed quibus hæc non sat fuerint, nec alia proderunt. Sed vt nostro muneri faciamus satis, ad Concilia progrediamur.

3. Esdr. 4.

ad Philipp. 1.

Conciliorum diffinitionibus Auxilium efficax esse necessarium ostenditur. Cap. XI.

CVM docente D. Prospero in Epistola ad D. Augustinum didicerimus, quod in istis Pelagianæ reliquijs prauitatis, non mediocris virulentia nutritur, si principium salutis in homine collocetur, si Diuinæ voluntati, voluntas humana impie præferatur. Vt ideo quis adiuuetur, quia voluit. Non, ideo quia adiuuatur, velit. Si originaliter receptionem boni, homo non a summo bono, sed a seipso male inchoare credatur. Si aliunde Deo placuit, nisi ex eo quod ipse donauerit. hactenus Prosper. Contrariæ sententiæ auctoribus eiusq. sectatoribus idem cum Gallis, aduersus quos Prosper inuehitur, asseuerantibus: non possumus alijs quam

Christianæ religionis armis occurrere. & licet contra eos diuini eloquij euidentibus testimonijs certauerimus, cum ipsi etiam aduersus veritatem ex sacra scriptura praue intellecta argumenta deducant, ideo ex Ecclesiæ decretis, quæ nouit vocem sponsi, argumenta sumemus. Et illius explicationem tenebimus, quæ columna, & fundamentum est totius veritatis. Primo igitur loco Canonem Concilij Arausicani secundi in medium proferemus, quo illius Synodi Patres ex directo contra aduersam sententiam voluisse diffinire manifestum fiat; vbi dicitur. si quis vt a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem, & operationem in nos, fieri confitetur, resistit eidem Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: [Præparatur voluntas a Domino] & Apostolo salubriter prædicanti. [Deus est qui operatur in nobis & velle, & per-

Conc. Arausic.2.can.4.

Prouerb.8.

Philipp.2.

ficere, pro bona voluntate,] si a contrariæ sententiæ fautoribus quæratur, quare ex duobus æquali auxilio, & gratia sufficienti affectis, vnus conuertatur, & alter non. sine vllo timore respondent, quia alter pro sua innata libertate voluit, alter vero non. quis adeo erit cæcus, qui non videat, Deum voluntatem hominis expectasse, vt illum conuerteret? Siquidem ex mera sua libertate operanti, seu incipienti gratia confertur. Quod expresse contra concilij verba militat. Adhæc isti constituunt gratiam Dei adiuuantem cooperari, cum voluntate hominis ad operationem illius, non autem voluntatem ipsam præmouere. Cum tamen contra hæc extet sententia Concilij, quod vt purgari velimus, per Spiritus sancti infusionem, & operationem in nos, fieri fatendum est sub anathemate. Putant autem hi, huius Synodi damnationem euadere asserentes, ibi tantummodo diffiniri contra Pelagianos tenentes liberum arbitrium

nullo suffultum auxilio gratiæ supernaturalis, proprijs viribus velle a peccato purgari. Cæterum ipsi gratiam coadiuuantem constituunt, vnde contra eos non facit determinatio Concilij. Hoc profecto non est argumenta dissoluere, sed velle deludere; quod in materia fidei periculosum est. Quoniam ex supperioribus constat, Concilium Arausicanum secundum aduersum Gallos fuisse coactum: Ij autem eamdem quam isti auctores eiusque sequaces, amplexati sunt sententiam. Vt testes sunt Prosper, & Hylarius in Epistolis ad D. Augustinum. Quorum dicta in supperioribus expressimus, qui gratiam adiuuantem constituerunt; si tamen præcederet hominis voluntas, operari incipiendo, non quæ præmoueret voluntatem ad volendum, & quæ ex nolente, volentem faceret. Ista est etiam aduersa tenentium doctrina, quam amplificant, & se nouum fœdus, quo gratiam Dei cum libero arbitrio concilient, repe-

rijsse gloriantur. Cum tamen antiqua sit in Ecclesia ista opinio, silendum est, & non error. Sed age, detur Patres Synodi Arausicanæ contra Pelagianos diffinisse. Quid obstat quominus contra hos Auctores, & suos asseclas valeat diffinitio? Non enim sicut delictum ita & donum. Delictum, Pelagianorum erat: Spiritus sancti donum, qui concilio astitit, Patres summumq. Pontificem circa veritatem illuminauit, latius diffusum est. Non enim solos Pelagianos damnauit, sed etiam a futuris erroribus Ecclesiæ suæ prospexit. Et dum anteactas hæreses destruebat: quas futuras præuouerat, oris sui gladio fugabat. Vt qui gloriatur, non in natiua sui liberi arbitrij libertate, sed in Domino glorietur. Et omnes vno ore Deum non adiuuare per se solam opus bonum incipientem voluntatem, verum eam in benedictionibus præuenire, & per gratiam præparare, præmouereq. fateamur. Sed vt amplius veritas mani-

festetur,

Conciliũ Arauſic. 2. cã. 6. feſtetur, ex eodem Concilio Arauſicano, alius canon accedat, in quo manifeſte, ita diffinitur. [Siquis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri diuinitus; non autem, vt credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut opportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri con fitetur. Et aut humilitati, aut obedientiæ humanę ſubiungit gratię adiutorium. nec vt obedientes, & humiles ſimus, ip-
1.Cor.4. ſius gratiæ donum eſſe, conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti. [Quid habes quod non
1.Cor.13. accepiſti? Et gratia Dei ſum id quod ſum.] Scio iſtos naturæ fautores, dicturos, ſe gratiam conſtituere, neque contra eos Concilium ſua tela dirigere. Cæterum ridicula eſt iſta reſponſio. Quamuis enim gratiam Dei conſtituant, illam tamen ſubijciunt voluntati, hanc enim

præire: illam pedisequam sequi in opere confitentur. & cum sacta Synodus de actibus manifeste loquatur, vt patet ex illis verbis, credentibus, & volentibus, &c. Ipsa sola natura gratiam antecedit secundum horum imaginationem, & prædeterminat. Vnde pulsantibus nobis misericordia confertur diuinitus, non autem conceditur, vt pulsemus: non per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti pulsamus, quæ in nobis hanc pulsationem operetur. Quæ omnia Concilij determinationi resistunt, & Apostolo dicenti quid habes quod non accepisti? Quis non videat hos suam prædeterminationem, ex se ipsis habere, quam a Deo non accipiunt? Suam volitionem ex se sortiri, quam Deus ab ipsis accipit, nec illam inter sua computaret nisi cum ipsi pro sua innata libertate præuenirent? Et tamen ait Apostolus. [Quis prior dedit illi & retribuetur ei?] Ex eodem similiter Concilio e vestigio sic de- Conc. Arausic. 2. can. 7.

cerni-

cernitur. [Siquis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere: siue salutari, idest Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati: Hæretico fallitur spiritu non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis.
Ioan. 15. [Sine me nihil potestis facere.] & illud Apostoli. [non quod idonei simus cogi-
2. Cor. 3. tare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.] Cum ergo isti Theologi defendant, quod qui consentit gratiæ iustificanti, qui ad illam se vltima dispositione præparat, absque vlla inspiratione præuia præmouente, sed solum ex innata sibi libertate operatur. Videant an Hæretico fallantur spiritu, & an intelligant vocem Dei dicentis, sine me nihil potestis facere? Insuper idem
Conc. Arausic. 2. can. 9. Concilium hæc ipsa diffinita confirmat

dicens. [Diuini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate, & ab iniustitia tenemus. Quotiens enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, vt operemnr, operatur] cum ergo conuertitur homo, Deus in illo, hoc est in libero arbitrio suo, facit, vt operetur, & conuertatur. Non igitur, salua fide asseuerari poterit, quod sua sola voluntate conuertitur. Similiter infra addit eadem Synodus. [Arbitrium hominis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi a quo potuit dari, non poterit reddi. Vnde ipsa veritas dicit. [Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis,] si ergo liberum arbitrium per peccatum infirmum est, debile, atque sauciatum, non potest propria virtute in opera conuersionis, quæ sani hominis sunt, assurgere, nisi a Deo sanetur, & roboretur. Quod auxilio efficaci præueniente perficitur. Iterum ad-

Conc. Arausic. 2. can. 13.

Ioann. 8.

Can. 14. iungit idem Concilium, [Nullus miser de quantacumque misera liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur.] Sicut
Psalm.78. dicit Psalmista: [Cito anticipet nos mi-
Psalm.58. sericordia tua Domine,] Et illud [Deus meus misericordia eius præueniet me.]
Canon. 15. Et in Canone sequenti ita decernitur. [ab eo quod formauit Deus, mutatur Adam, sed in peius, per iniquitatem suam. Ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit præuaricatoris primi.] hæc secundum Psalmistam, [mu-
Can.18. tatio dexteræ excelsi.] Et vlterius subditur. [Debetur merces bonis operibus si
Can. 20. fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant,] præcedit vtique faciendo, vt fiant, alias non præcedit, vt fiant. Et
Can. 23. adhuc expressius dicit Concilium. [Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.] Id ipsum inferius diffinitur. [Suam volun-

tatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet; quando autem ita faciunt quod volunt, vt Diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo præparatur, & iubetur quod volunt.] Ecce voluntas hominis quod vult Deus, & ad quod illam præparat, vult, & facit. Exemplo autem ex Euangelio desumpto explicat Concilium hoc ipsum, quod sæpius deffiniuit, dicens. [Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, sed inde accipiant, vnde viuant. Sic quippe vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc, & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, Discipulis prodest, & non Christo. Nam præciso palmite potest de viua radice alius pullulare, qui autem præcisus est, non potest sine radice viuere.] Ecce quemadmodum palmites accipiunt virtutem a vite, vt viuant, sic fideles qui

Can. 24.

Christo adhærent, ab ipso mendicant; vnde viuant, & operationes ædant vitales. Si autem precissi sunt a Christo, nec viuunt, neque consequenter vitaliter operantur. Totum enim quod habent, ab eo participant; quid ergo præstat cum tenentibus contrariam sententiam gratiam adiuuantem, non præuenientem sua motione constituere, cum hæc nihil conferat palmiti, vt incipiat ex vita quam recipit, operari? Cæterum asserunt iam præcedere gratiam, ipsam liberi arbitrij operationem. Verumtamen, vt hanc responsionem explodamus, opportet aduertere hos Auctores & suos sequaces, gratiam sufficientem ponere quæ liberi arbitrij velle præcedat in ratione entis, non autem in ratione causæ, itaque illa gratia antiquior est quam sit actus voluntatis meæ se in Deum conuertentis; nihil tamen causat in voluntate, quo præmoueat illam, vt operetur. Verumtamen liberum arbitrium meum prius est in cau

sando ipsa gratia. Hæc enim vt adiuuet, liberi arbitrij determinationem expectat; neque aliter quam illo operante coopera-bitur: & cum ista fateantur, adijciunt, gratiam anteire voluntatem, vt operetur. Quod vere est illud quod D. Prosper asserit, hanc gratiam secundum phantasiam ita opinantium, esse priorem: secundum veritatem vero posteriorem, & pedisequam. Et obiter aduerte qui legis hæc, istorum dicta manifeste cum Concilij Arausicani diffinitione pugnare in Can. 4. Quatenus Dei gratiam humanam voluntatem expectare contendunt. Præterea cum aiunt gratiam liberum arbitrium præcedere, quoniam præcedit in essendo, sine ratione loquuntur. Quæro enim, cum quis credit ad illum actum credendi quænam potentia prior est intellectus, an voluntas? Quis voluntatem nesciat esse priorem? Cum moueat intellectum ad actum credendi, & sine motione voluntatis numquam credet intellectus? In ra-

tione tamen essendi, & ordine naturæ, prior est intellectus, quia ab illo voluntas oritur. eodem modo in imaginatione istorum esse priorem liberi arbitrij operatione gratiam in essendo, certum sit. Veruntamen in operando posterior est gratia: quia nisi per velle liberi arbitrij fuerit præuenta, non cooperabitur: Vnde fit quod in operando præuenit gratiam voluntas absolute, & simpliciter. Quoniam non plus confert actioni voluntatis meæ in principio gratia, quam si non esset. Quoniam iuxta modum dicendi istorum pro sua sola, & innata libertate voluntas operatur. In Concilio itidem Senonense a principio ita docetur. [Accedentem siquidem ad Deum oportet primum Diuinæ gratiæ munere adiutum credere, deinde bonis operibus intendere. In quibus efficiendis, & liberũ arbitrium operatur, & gratia. Primò tamen, & principalius gratia. Quare qui hominem bene operari & salutem consequi arbitra-

Conc. Senonen. a princ.

tur, sine gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio ascribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est.] Caueant igitur, qui contrariam sententiam tuentur, ne Pelagianorum nomine recta ratione dicantur: qui in bono opere, libero arbitrio primatum ascribunt, non gratiæ. Iterum in Concilio Maguntino sic diffinitur. [Talis autem iustificationis initium ex Dei gratia prouenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici, & peccatores sunt, excitati, & adiuti, & eidem gratiæ sic excitanti, & adiuuanti consentientes, & cooperantes ad iustificationem disponuntur.] Concilium item Mileuitanum quod abhinc mille ducentis annis celebratum est, sua antiquissima doctrina hæc ipsa determinat. [Non quia per gratiam reuelatur nobis, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, sed quia per eam præstatur nobis, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus,

Concil. Magunt. c. 7.

Conc. Mileuit. can. 4.

mus, & valeamus, &c.] Præcedit ergo gratia quæ adiuuet, vt facere valeamus: Si quis rem hanc sub proprijs terminis cupit intelligere, consulat Synodi Coloniensis Patres ita statuentes. [Hæc Christiana gratia distinguitur in gratiam operantem, & cooperantem, seu in præuenientem, & subsequentem. Vtramque in sacris eloquijs expressam legimus, Psaltes ait. [Et misericordia eius præueniet me.] [Et misericordia Dei subsequetur me.] Deus autem nolentem præuenit, vt bene velit, & volentem subsequitur ne frustra velit, sed vt perficere valeat. Operans igitur gratia est quæ præuenit, ac præparat voluntatem, non vt fiat voluntas, quia & ante hanc gratiam voluntas erat, sed vt voluntas bona fiat, & quæ prius erat serua peccati, liberetur. Cooperans vero gratia voluntatem iam bonam factam subsequitur, vt quod iam vult bonum, perficere possit. Nam vt iam sæpe diximus, voluntas hominis,

Cōc. Colon. in Enchirid. Christ. idest de sacr. penit.

Psalm. 58.

Psalm. 22.

quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum, vel opere adimplendum, nisi per gratiam liberetur, & adiuuetur, secundum sententiam Paulinam quam impij pro sua impietate detorquent. [Non est (inquit) volentis neque currentis, sed miserentis Dei.] Rom. 9. Hoc est, non est volentis bene velle, neque currentis currere, sed miserentis Dei. Philipp. 2. qui operatur in nobis velle, id est, vt assentiamur vocanti, & currere, hoc est, operari pro sua bona voluntate. Itaque non ideo miseretur Deus hominis, quia ipse homo voluit, & cucurrit: sed iam homo voluit, & cucurrit, quia misertus est Deus. Quamobrem Hyeremias Propheta ait: [Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.] Hier. 10. [Praeparatur enim, teste Salomone, voluntas hominis a Deo, & a Domino gressus hominis diriguntur.] Et quibusdam interpositis ait: [Hanc autem gratiam iustifi-

cantem, voluntas nostra, vt supra diximus, comitatur, ac veluti pedisequa subsequitur, non quidem tempore, sed causa tantum, & natura. Est igitur gratia causa volitionis, & non econtra, siquidem est prior natura in operatione, &c. Et paulo post ait. [Et quid tandem est aliud voluntas, nisi animi motio, cogente nullo ad aliquid non admittendum, vel adipiscendum? Ergo & si, nisi a cœlesti medico præuenta, & edocta fuerit, bonum velle, aut etiam Deo præuenienti sine gratia Dei assentiri non possit, tamen quis non videt hoc, voluntatis esse, vt assentiatur? Itaque velle pœnitere, velle resipiscere, velle accipere remissionem peccatorum, non est a sola voluntate, sed illud nobiscum operatur Dominus. Dum in mutando maleuolam voluntatem, eam facit beneuolam, & suæ voluntati consentientem. Vnde voluntatem nostram Deus immutat, & sic operatur in nobis velle. Sed tamen quia voluntas in vita

Hier. 10.

mutari nequit, Deo cooperatur, dum ei conſentit.] Ex adductis ſacrorum Conciliorum decretis ſatis me probaſſe arbitror, ſententiam, quæ efficaci auxilio gratiæ auerſatur, ſimul etiam doctrinæ Eccleſiæ, & fidei documentis aduerſari: Omnia namque non amphibologicis loqutionibus, ſed ſermonibus labij vnius, non diſcrepantibus verbis decernunt, Deum operibus conuerſionis noſtræ initia præſtare, noſtras præueniendo voluntates, ex prauis rectas faciendo; & non eſſe bonum in operibus noſtris, quòd miſericordia Dei non antecedat, præparet, adiuuet, & ad perfectum vſque perducat. Verumtamen non erit abs re Concilij Tridentini diffinitionem recenſere, quod in hunc modum determinat: [Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe, ſicut opportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: anathema Conc. Trid. ſeſſ.6. can.6.

sit.] Contraria verò sententia aperte profitetur hominem actibus ex viribus naturæ profectis, gratiam iustificantem adipisci. Similiter placet nobis ea, quæ D. Prosper in huius rei diffinitionem contra collatorem congerit, huc aduocare, ut pateat circa rem hanc Ecclesiæ antiquissima determinatio. [Secundum quippe tuam Censuram, (inquit) qua sanctarum & fidelium uoluntatum, asseris non in omnibus hominibus ex Deo esse principium: quasi multum gratiæ tribuas, si hoc eam in quorundam operari mentibus acquiescas.] Errauit Papa Innocentius, & Petri sede dignissimus. Qui cum de istis loqueretur, qui in libero arbitrio gloriantur, [Nam quid (inquit) de eorum post hæc rectum mentibus existimemus, qui sibi reputant deberi, quod boni sunt?] Et iterum cum de hominis primi scriberet lapsu, [liberum enim (inquit) arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis,

Prosper con. collatorem cap. 10.

cadens,

cadens, in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset, inuenit: suaque in æternum libertate deceptus, huius ruina iacuisset oppressus, nisi eum post, Christi pro sua gratia releuasset aduentus.] Errauerunt Orientales Episcopi in quorum Iudicio Pelagius eos qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, vt catholicus posset videri, anathematizare compulsus est. Errauerunt Aphricana Episcoporum Concilia, quæ decretis suis constituere; [vtrumque Dei donum esse, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus! Vt ædificante charitate, scientia non possit inflare.] Quia sicut de Deo scriptum est, [ille est, qui docet hominem scientiam.] Ita scriptum est, [Charitas ex Deo est.] Errauerunt ducenti quatuordecim Sacerdotes, qui in Epistola quam suis constitutionibus prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis Antistitem Beatum Zosimum sunt alloquuti, [Constituimus in

Epistola 91. inter Epistolas Augustini.

Vide Epist. August. cob. Conc. Mileuit. & Carthag. cap. 4.

Psalm. 93.

1. Ioann. 4.

Pelagium atque Celestium per Venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Petri sede prolatam, manere sententiam: donec apertissima confessione fateantur, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam, nos per actus singulos adiuuari. Ita vt sine illa, nihil veræ, sanctæq. pietatis, habere, cogitare, dicere, aut agere valeamus.] Errauit Sacrosancta Beati Petri Sedes, quæ ad vniuersum orbem Papæ Zosimi sic ore loquitur. [Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum, & Coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus.] Errauerunt Affricani Episcopi ad eumdem Papam Zosimum rescribentes, eumque in sententiæ huius salubritate laudantes, cum aiunt. [Illud vero quod in litteris tuis, quas ad vniuersos curasti esse mittendas

posuisti

posuisti dicens: nos tamen instinctu Dei; (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, vnde nascuntur.) Ad fratrum, & Coepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus: sic accepimus dictum, vt illos, qui contra Dei adiutorium, extollunt humani arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero arbitrio fecisti, quam quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterq. vidisti; veraciter, fidenterq. dixisti. Ideo vtique quoniam [præparatur voluntas a Domino.] Et vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. [Quot quot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.] Vt nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibusque, ac voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium. Superest

modo ex vnanimi sanctorum consensu eamdem sententiam stabilire.

Auxilium efficax esse necessarium probatur ex communi sententia Sanctorum.

Cap. XII.

QVAMVIS in superioribus dilucide ostenderimus ex verbis Christi, qui caput est Ecclesiæ, sine Deo nos nihil posse facere: & neminem ad eum venire posse, nisi pater traxerit illum. Quam tractionem, motionem Dei efficacem interpretantur Doctissimi quique Diuinæ scripturæ interpretes. Operepretium erit, sanctorum placita, quæ eidem Christi Doctrinæ vno consensu astipulantur, huc asciscere. Ita tamen fiet, ut singulorum a Christo nato notemus tempora, ut inde facile sit intelligere, hanc quam docemus, perpe-

tuam, continuam, ſtabilemq. Eccleſiæ fuiſſe ſententiam, erroriq. aduerſariorum contrariam. Neque quiſquam mihi de erroris verbo ſuccenſeat, quoniam in Concilio Calcedonenſi, cum Eutioches ſe in ſacris ſcripturis de duabus Chriſti naturis non didiciſſe iactaret, Reuerendiſſimi Epiſcopi inibi congregati clamauerunt. Ea quæ ſunt Patrum teneantur. Sequentes ſanctos Patres ita docemus, qui non conſentit expoſitioni ſanctorum Patrum, ſeipſum alienat ab omni ſacerdotali communione, & a Chriſti præſentia. Liceat ergo errorem vocare dogma communi ſanctorum aſſertioni contrarium in materia fidei. Diuus igitur Petrus ſicut in ſede, & Cathedra, ſic & in hac parte primatum teneat. Contra quem Simon Magus liberum impugnans arbitrium, in hunc modum inuectus eſt. Vt refert Clemens eius diſcipulus, & ſucceſsor. [Quod Deus vult eſse, eſt. Et quod vult, non eſse, non eſt. Ergo nullum eſt liberum

Lib. 3. recogni. cap. 19. Moritur D. Petrus anno a Chriſto nato 70.

arbitrium. Si enim efficaciter a Deo mouetur, necessitatur. Voluntati enim eius quis resistet?] Quod argumentum Apostolorum Princeps his verbis dissoluit. [Omnis motus in duas partes diuiditur, vt quædam necessitate, quædam voluntate moueantur. Et ea quidem quæ necessitas mouet, semper in motu sunt: quæ vero voluntas, non semper. vt (verbi gratia dicam) motus solis necessitate ducitur, vt statutum compleat cursum; homo vero actuum suorum motus voluntarios facit.] & concludit. [Ignoras Simon, & valde ignoras, quomodo in singulis voluntas sit Dei. Quædam enim voluit, vt diximus, ita esse, vt aliud esse non possint, quam id quod ab ipsa instituta sunt. Et ijs, neque præmia nec supplicia statuit. Ea vero quæ ita esse voluit, vt in sua potestate habeant agere quod velint, his pro actibus, & voluntatibus suis statuit, vt aut remunerationes mereantur, aut pœnas.] hactenus D. Petrus.

Et non obſcuro ſermone docet, quod per hoc quod Deus voluntatem hominis efficaciſſime mouet, nullam infert vim, nullam neceſſitatem imponit: ſed eam pro ſuæ naturæ conditione ſinit libere operari. Mouet namque cauſas ſecundas (vt verbis Theologorum vtar) neceſsarias, neceſsario: liberas, libere: attingens a fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. Quoniam ergo attingit a fine vſque ad finem fortiter, quod Deus vult eſse, infallibiliter eueniat, neceſse eſt. Quoniam vero diſponit omnia ſuauiter, cauſas liberas ab innata libertate non diuertit. Quoniam effectus liberi ſunt, & dicuntur, qui a voluntate libere operante proficiſcuntur. Et ab indifferentia rationis ducunt originem: licet illis aliunde infallibilitas incumbat eſsendi. Veluti ego nunc libere ſcribo, quamuis ſuppoſito, quod ſcribo, neceſsarium ſit me ſcribere. Quoniam, iuxta uerbum Philoſophi, [omne quod eſt, quamdiu eſt, ne-

Sapien. 8.

cesse est esse.] Immo uero, & Deus ipse, qui infinitæ est libertatis, supposita præscientia, & præfinitione, qua præsciuit, & statuit, mundum creare: necessario illum creauit. Quis autem audeat, hanc in eum inferre blasphemiam, ut asseueret, non libere mundum creasse? Ita dum Deus versat lectum nostrum in infirmitate nostra, dum a peccatis nostris ad se conuertit, & trahit. Non inuiti cogimur, sed sicut dicit sponsa [trahe me post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.] A sponso trahimur, dum efficaci motione præparamur. Post eum currimus, dum libera voluntate mouentem sequimur.

Cant. 1.

D. ille Magnus Dionysius qui Apostolis fuit contemporaneus, D. Pauli discipulus, inquit; [quod Deus est causa amoris in nobis sicut emissor, & progenitor.] Quæ verba sic explicat D. Thomas. Quod in illis verbis sicut emissor & progenitor, significatur, quod est causa

D. ille Mag. Dionysius de Diuinis nominibus c.4. lect. 11. apud D. Thom Passus est anno a Christo nato 90.

effi-

efficiens mouens voluntatem effectiue ad amorem, & quod voluntas non producit amorem nisi mota a Deo, sicut sagitta emissa, & mota a sagittante tendit ad destinatam metam. Et infra idem D. Dionysius inquit. [Exemplaria autem esse dicimus in Deo, existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædiffinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates existentium prædeterminatiuas, & effectiuas; secundum quas substantialis essentia omnia præfiniuit, & produxit.] Aperta igitur sententia fuit D. Dionysij, quod Deus per suam voluntatem prædiffiniuit omnia in particulari, & produxit.

Cap. 5. lect. 3. apud D. Thom.

D. Cyprianus generali titulo cunctas aduersas amputat opiniones, & doctrinam statuit Ecclesiæ dicens. [In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.] Et explicans orationem Dominicam, inquit. [Addimus quoque & dicimus, fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra,

D. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum c. 11. num. 4. Passus est anno a Christo nato 240. In expositione orationis Dominicæ.

non vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus, atque actus Deo obsequatur, oramus, & petimus: vt fiat in nobis voluntas Dei. Quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, idest ope eius, & protectione. Quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia, & misericordia tutus est.] Et infra eadem exponens verba. [Potest (inquit,) & sic intelligi fratres dilectissimi, vt quoniam mandat, & admonet Dominus, etiam inimicos diligere, & pro his quoque, qui nos persequuntur orare, petamus, & pro illis, qui adhuc terra sunt, & nedum Cœlestes esse cœperunt: vt circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conseruando, & reintegrando perfecit. Nam cum discipuli ab eo non iam terra appellentur, sed sal terræ, & Apostolus primum ho-

Matth. 5.

1. Cor. 15.

minem

minem vocet de terræ lymo, secundum vero de cœlo: merito, & nos, qui esse debemus Patri Deo similes: qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos: Sic Christo monente oramus, & petimus, vt precem pro omnium salute faciamus: Vt quomodo in cœlo, id est nobis per fidem nostram, voluntas Dei facta est, vt essemus e cœlo: ita & in terra, hoc est, in illis non credentibus, fiat voluntas Dei. Vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse Cœlestes ex aqua, & Spiritu sancto;] Non dicit D. Cyprianus, orandum, vt infideles pro sua innata libertate conuertantur, & credant, sed vt faciat Deus eos credentes, & in eis fiat voluntas eius. Matth. 5.

D. Ephræm Syrus haut obscuris verbis eumdem sensum exprimit dicens: [Quēadmodum qui seipsum intuetur in speculo, idem ipse est, qui videt, & qui videtur. Ad eumdem modum, & Diuina

D. Ephræm de vita Religiosa atque Monastica tō. 3. fac. 49. Obijt anno Domini 360.

gratia, vbi inuenerit requiem, ibidem inhabitat, & inhabitatur, efficiturque, vt iam dixi, & laus, & qui laudem exhibeat. Absque enim illius adminiculo non præualet cor placere ei viribus suis, verum, vt ipsi placeat, ab eo accipit, & ex eius vino potum eidem offert. Ita, exempli gratia, ex compunctione, quæ insigne gratiæ donum est, retribuit ei lachrimas, & ex dulcedine vini illius, humilitatem profert cordis, atque ex ipsius virtute quam sumpsit, diuinas ei psallit laudes. Sine faciei quippe aspectu, speculum inefficax est, atque inutile: at cum personæ cuiuslibet aspectum acceperit, ex eo quod accipit, simul reddit. Et si ornata ipsi facies admoueatur, idem etiam ex ipso speculo ornatus exprimitur. Sic quoque homo, sine gratiæ diuinæ adiutorio, pauper est, & bonorum inops. Si vero ipsam gratiam promeruerit, poterit illius ope virtutes exercere, atque perficere. Est igitur anima gratia, &

eius adiutorio destituta inefficax, & inutilis, vt possit placere Deo, sicut speculum sine obiecto, quod referat. Quod tamen si illud adsit, ipsum repræsentat. Similiter si gratia fuerit in anima, poterit eam præseferre, & in operibus illius se exercere. [Si autem est anima inefficax, & inutilis ex se, quonam modo ex solius naturæ viribus poterit opus iustificationis exordiri?] Et alio loco ait, [ex manibus inimici me eripere, & ad te dirige, vt illo per gratiam tuam superato, te solum benedicam, teque solum glorificem, o longanimis, & misericors, qui omnes homines cupis saluos fieri. Et quoniam vitæ meæ tempus in vanitate defecit, & cogitationibus turpibus, dona mihi medicamentum efficax, quo plenissime ab occultis meis curer vulneribus: & conforta me, vt saltim ad vnam horam prompte laborem in vinea tua.] si voluntatis meæ est suis solis viribus efficaciam gratiæ exhibere, stultum est a Deo efficax

Serm. de cõpunct. fac. 19. tom. 1.

medicamentum petere, cum facile mihi sit præstare illud. Non ita de se superbe sentiebat sanctissimus Ephræm, vt in se & de se gloriaretur, sed à Deo omnia petit, a quo nouit bona cuncta procedere, vt [qui gloriatur in Domino glorietur.] & iterum dicit. [Quemadmodum enim terra, licet seminata, nequit a seipsa fouere germina sine bonitatis tuæ visitatione, ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi, beneficio gratiæ tuæ, nisi per ipsam fructificauerit iustitiæ fructum.] Non ergo sufficit gratiam Dei seu auxilium percipere, nisi gratia fructificet, & faciat liberum arbitrium fructificare. Cuius oppositum docent isti Theologi cum suis ponentes gratiam, quæ voluntatem prçcedat essendo, subsequatur autem operando.

In cõfess. seu prædicat. ad Deũ fac. 267

D. Basil. lib. de Spiritu sãcto c. 7. Rom. 8.

D. Basilius ille Magnus explicans illud verbum Apostoli, [in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos,] nihil conuersionis nostræ libero per se tribuit

arbitrio, ſed totum per eum qui dilexit nos, ſic dicens. [Cum ait Paulus in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos.] Nequaquam hac voce humile quoddam miniſterium indicat, ſed auxilium potius, quod per imperium ſuæ potentiæ operatur in nobis, ſiquidem ipſum alligauit fortem, diripuitq. vaſa illius, videlicet nos, quibus, ad omnia mala opera fuerat abuſus, fecitque vaſa vtilia Domino, apparatos ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius quod erat in nobis.] Ecce auxilium magnificat, quo Deus nos conuertit a ſeruitute diaboli, in libertatem filiorum Dei, & fecit nos vaſa vtilia Domino, quos præparauit in omne opus bonum, ipſe (inquam) fecit nos, non ipſi nos. Non ille ſequutus eſt iam operantes.

Anno 380. obijt.

D. Ambroſius egregius Eccleſiæ Doctor in cuius præcipue libris Romanæ fidei lumen emicuit, dum diuum Petrum Apoſtolorum Principem reſipiſcentem,

D. Ambroſ. ſup. Lucam lib. 10. c. 39. Anno D. 380

& lachrimantem commemorat, in hos sermones prorrumpit. [Bonæ lachrimæ quæ culpam lauant, denique quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit primo Petrus, & non fleuit, quem non respexerat Dominus. Negauit secundo & non fleuit, quem adhuc non respexerat Dominus. Negauit tertio, respexit Iesus, & ille amarissime fleuit. Legant isti Euãgelium, & videant Dominum Iesum tunc intus fuisse, cum a sacerdotum Principibus audiretur: Apostolum vero foris, & deorsum in atrio cum seruis ad focum tunc sedentem, nunc stantem, sicut verassima; & concordissima Euangelistarum narratione monstratur. Vnde non potest dici quod corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexit. Et ideo quod ibi scriptum est, respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, misericordia Dominus latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiori gratia sua visitauit

Petrum, interioris hominis vſque ad exteriores lachrimas mouit, & produxit affectum.] Sic Deus efficaci auxilio adeſt voluntatibus noſtris. Sic velle, & perficere pro ſua bona voluntate operatur in nobis. Item alio loco eandem aſtruit ſententiam hiſce verbis. [Deus in cordibus trahendum, hoc agit, vt credant, hoc efficit, vt velint, non enim eſſet vnde traherentur, ſi ſequaces fide, & voluntate non eſſent,] efficaciter ergo mouentem, & trahentem, intellectus, & voluntas ſequuntur, & paucis interpoſitis hæc annectit. [Quod illos Deus voluit velle, voluerunt, qui ipſum velle ſic donat, vt illam mutabilitatem qua poteſt nolle, non auferat.]

Lib. 2. de vocat. gent. c. 9.

Vide de fuga ſeculi c. 4 quem citat expenditque Aug. lib. 2. de Præd. ſanctorũ cap. 8.

D. Io. Chryſoſt. ſemper firma inconcuſſaq. ſententia gratiam præuenientem miris extollit encomijs, & prædicat. Nos quicquid habemus a præuenientis, & ſemper incipientis gratiæ benignitate percipere. In cuius defenſionem ſic loqui-

D. Chryſoſt. hom. 12. in c. 4. 1. ad Cor. Anno Domini 405. obijt

tur. [Quid habes quod non accepiſti?] Neque hoc tantum, & illud, ſed quícquid habes accepiſti. Non enim merita tua, hæc ſunt, ſed Dei gratia. Quamuis fidem adducas, a vocatione eam accepiſti, quamuis peccatorum veniam adducas, quamuis gratias, quamuis virtutes, omnia inde tibi prouenerunt. Quid igitur habes quod non acceptum habeas? Num ipſe per te recte operatus es? Non ſane, ſed accepiſti. Non enim tuum id munus eſt, ſed largientis. Nam ſi accepiſti, ab illo accepiſti. Si ab illo, non tuum accepiſti: ſi non tuum, quid inſoleſcis, ac ſi tuum habeas?] & alibi dicit. [agit quippe Deus in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus.] Vbi etiam docet, quod per huiuſmodi auxilium Dei non aufertur, ſed perficitur liberum arbitrium.

Tom. 1. homil. de Adã & Æua.

∴

Alio-

Aliorum sanctorum Patrum testimonijs necessitas auxilij efficacis confirmatur. Cap. XIII.

SI D. Augustino credimus, qui in gratiã Hilarij & Prosperi aduersus errores Galliæ libros deprædestinatione sanctorum, & de bono perseuerantiæ composuit, peius illis errasse hos Theologos reperiemus, illi namq. in bonis operibus principium, & consummationem, Deo conferebant, in sola fide, nostrum incipere, Dei autem perficere asseuerantes. Hi vero, in omnibus operibus bonis sibi ipsis tribuunt initia, Deo autem adiuuare, quod ipsi cæperint. Audiant igitur eumdem D. Augustinum hæc verba proferentem. [Quod ergo pertinet ad D. Aug. lib. de præd. sanctorũ cap. 2.

reli-

Obijt anno a natiuitate Domini 430.

religionem, atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, [non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.] Profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus. Sed sufficientia nostra qua credere incipimus ex Deo est. Quocirca sicut nemo sufficit ad incipiendum, vel perficiendum, quodcumque opus bonum, quod iam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt. Vnde in omni opere bono incipiendo, & perficiendo, sufficientia nostra ex Deo est. Ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est. quoniam fides si non cogitetur, nulla est: & non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cauendum est fratres dilecti a Deo, ne homo se extollat aduersus Deum, cum se dicit facere

quod promisit Deus. Non ne fides gentium promissa est Abrahæ, [& ille dans gloriam Deo plenissime credidit quoniam qui promisit potens est, & facere.] Ipse ergo fidem gentium facit qui potens est facere quod promisit. Porrò si operatur Deus fidem nostram miro modo agens in cordibus nostris, vt credamus, numquid metuendum est ne totum facere nõ possit, & ideo homo sibi primas eius vendicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur, videte si aliud agitur isto modo, nisi vt hæc gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modò, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis: debetur enim credenti, vt a Domino ipsa fides augeatur: & sit merces fidei cæptæ, fides aucta. Nec attenditur, cum hoc dicitur, non secundum gratiam, sed secundum debitum, istam mercedem credentibus imputari. Cur autem non totum tribuatur homini, vt qui sibi po- Rom. 4.

tuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omnino non video. Nisi quia resisti non potest diuinis manifestissimis testimonijs, quibus, & fides, vnde pietas exordium sumit, donum Dei esse monstratur: Quale est illud, quod [vnicuique Deus partitus est mensuram fidei.] Et illud, [pax fratribus, & charitas cum fide a Deo Patre, & Domino Iesu Christo,] & cætera talia. Nolens ergo his tam claris testimonijs repugnare, & tamen volens a seipso sibi esse quod credidit; homo quasi componat cum Deo, & partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat. Et quod est elatius, primam tollit, sequentem dat illi. Et in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.] Ecce manifeste cum Galli iam sententiam reliquissent, qua tenebant in omnibus actibus bonis principium esse hominis, consummationem vero Dei, ac tantummodo in fide hoc affirmarent, D. Au-

guſtinus diſtricto ſacræ ſcripturæ gladio in eos inuehitur. Quid igitur aliam confutationem contra hos Auctores quærimus, qui omnium bonorum operum principium homini, Deo autem poſteriora largiuntur? Non iſti ex ſe multū habere fatentur, cū operum initia ſibi in ſuam partem vſurpant? Non ne aperto marte Apoſtolo reluctantur dicenti, [quid habes quod non accepiſti?] Non ne initijs operum, quod ſupereſt gratiæ ſe mereri teſtantur, dum ad illud quod eſt naturæ, id quod eſt gratiæ, quaſi in meritum infallibili conſequutione ſubſequitur? Non ne quod Dei eſt non dico furantur, ſed rapiunt, dum boni operis incipiendi ſibi ſufficientiam aſcribunt, & in Spiritus ſancti dicta recalcitrant; qui ait per Apoſtolum, [Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt] Sed mentem D. Auguſtini proſequamur, qui ſemper vniformi ſenſu, & ratione procedit. Di- Cap 6.

cit enim infra. [Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas a Domino, discernendum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.] Et paucis interpositis ait: [Misericordia igitur, & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista, gratiæ est, non vtique meritorum. Superius enim dixerat (sic ergo, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, si autem gratia iam non ex operibus, alioquin
Rom.11. gratia iam non est gratia.)] [Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio. Non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis, pro
Cap.15. nihilo enim saluos fecit eos.] Est insuper insigne testimonium in eodem libro inferius vbi sic ait: [Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis

illius generationis inuenerit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ generationis inquirat. Nec enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa: vt alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu, & Virgine nasceretur. Sic & nobis, vt ex aqua, & Spiritu sancto renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum. Et si nos ad lauacrum regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus priores nos dedisse aliquid, vt retribueretur nobis regeneratio salutaris. Ille quippe fecit nos credere in Christum, qui nobis fecit, in quem credimus, Christum. Ille facit in hominibus principium fidei, & perfectionem in Iesu, qui fecit hominem Principem fidei, & perfectorem Iesum. Sic enim est appellatus, vt scitis, in Epistola quæ est ad Hebræos. Iterum eos impugnans, qui asseuerabant nos fidem ex nobis incipere, sed Deum perficere, ex testimonio Apostoli ducit argu- Cap. 18.

ad Ephes. 1. mentum dicentis. [Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate] elegit ergo nos Deus (inquit) in Chriſto ante mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem filiorũ, non quia per nos ſancti, & immaculati futuri eramus: ſed elegit, prædeſtinauitque, vt eſſemus. [Operatur enim ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ eius.] Et poſt pauca.

Cap. 19. [Cum ergo nos prædeſtinauit, opus ſuum præſciuit, qui nos ſanctos, & immaculatos facit. Recte hoc teſtimonio Pelagianus error arguitur. Nos autem dicimus (inquiunt) noſtrum, Deum non præſciuiſſe, niſi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ac prædeſtinaſſe, vt iam ſancti, & immaculati gratia, atque opere eius eſſemus. Sed audiant & ipſi in hoc teſtimonio vbi dicit [ſortem conſequuti ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum

eius, qui omnia operatur.] Ipſe ergo, vt credere incipiamus, operatur, qui vniuerſa operatur.] In libro item de bono perſeuerantiæ eamdem doctrinam proſequitur dicens. [Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur, & velle. Nos ergo operamur: ſed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit, & credere, & dicere: hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo: Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid tamquam a nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] Et illi libro Epilogum faciens ſic inquit. [Qui ergo fecit illum hominem, ſcilicet Chriſtum, ſine vllis eius præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum: ipſe nul-

Cap. 12.

Cap. vltimo

lis eorum præcedentibus meritis; fecit credentes in eum, quibus dimittitur omne peccatum: Qui fecit illum talem, vt numquam habuerit habiturusq. sit voluntatem malam: ipse facit in membris eius ex mala voluntate bonam. Et illum ergo, & nos prædestinauit, quia in illo, vt esset caput nostrum; & in nobis, vt eius corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præsciuit.] hæc D. Augustini testimonia euidentia contra hos Doctores eorumq. sectatores ex libris de prædestinatione sanctorum, & bono perseuerantiæ provt de fonte claro duxerunt originem, retulimus. Vt vnicuique fasit perspicere, eamdem causam, vel peiorem cum his a nobis agitari, quam quæ olim aduersum Gallos ex Augustini dictis damnata est. Nequeo autem nostrorum temporum nimiam libertatem non admirari? Cum enim Pelagianorum reliquiæ in Gallia D. Augustini testimonijs ex libris preallegatis præmerentur, ne

ipsius doctrinæ viderentur repugnare, libros esse suos negauerunt. Ita illius placita venerati sunt, vt in aperto illi contradicere etiam hæretici non auderent. Ij vero, non solum in faciem ei obsistunt, cum sit irreprehensibilis, verum etiam eius doctrinam cum ludibrio reprobant, & refellunt: cum tamen iam terfuerit per sedem Apostolicam approbata. Primo a Cælestino Papa in Epistola aduersum Gallos. Vbi miris laudibus & D. Augustinum & eius doctrinam, ad astra tollit. Atque Leo Papa primus, hanc de efficacia gratiæ sententiam, & alia quædam capita ex D. Augustino de gratia, & libero arbitrio decerpta, ad Arausicanum Concilium secundum misit, vt a cunctis illius Concilij Episcopis acceptarentur, & subscriberentur. Quod & ita factum est. Sanctus insuper Gelasius Papa in Concilio 70. Episcoporum, non solum D. Augustini scripta probauit, sed & Cassiani, & Fausti Regiensis libellos damnauit, con

Epistola aduersum Gallos c. 2.

tra eiusdem scripta de prædestinatione Sanctorum, & bono perseuerantiæ obloquentium.

Gratia efficax ex aliorum Sanctorum placitis comprobatur. Cap. XIIII.

D.Greg.Nazianz. orat. 31. Anno a Christo nato obijt 390.

DIVVS Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus D. Pauli verbis hoc ipsum ostendit dicens. [His verbis docet Apostolus quod ipsum etiam recte velle diuino auxilio indigeat. Immo vt rectius loquar, voluntas quoque ipsa, & electio eorum quæ recta, & cum officio coniuncta sunt, diuinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Idcirco ait, [non volentis, idest, non solum volentis, neque currentis solum, sed etiam miserentis est Dei.] Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo iure to-

Rom. 9.

tum Deo aſſignauit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes, eo qui det coronam. [Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.] [Niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.] [Scio, (inquit) quod nec leuium curſus eſt, nec bellum potentium, nec pugnantium victoria, nec proſpere nauigantium portus: ſed Dei eſt, & victoriam afferre, & incolumem Scaphã in portum producere.] Alio etiam loco quem D. Auguſtinus allegat, & credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei eſſe donum teſtatur dicens. [Vnius Deitatis quæſumus vos confitemini Trinitatem. Si vero aliter vultis, dicite vnius eſſe naturæ, & Deus vocem dari vobis a ſancto Spiritu deprecabitur, ideſt rogabitur Deus, vt permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri poſſitis. Dabit enim certus ſum, qui dedit quod primum eſt, dabit & quod ſecun-

Pſalm. 126.

De prædeſtinatione ſanctorum lib. 2 cap. 19.

dum qui dedit credere, dabit & confiteri.]

D. Cyrillus lib. 1. de adorat. in Spiritu fac. 15. Obijt anno a Christo nato 432.

D. Cyrillus quoque explicans illud Genesis 19. [Cum vero mane factum esset, vrgebant Angeli Loth dicentes, accipe vxorem tuam, & duas filias quas habes: & exi, ne & tu pereas cum iniquitatibus Ciuitatis. Et turbati sunt, & tenuerunt Angeli manum eius, & manum vxoris eius, & manus filiarum eius: eo quod Dominus parceret illi.] [Id porro (ait) esse argumento euidentissimo posse nos non verbis tantum, & admonitionibus in animum immissis, inuitari, vt a peccatis recedamus: sed etiam ad eam erga nós benignitatem descendere omnium saluátorem Deum, vt efficaci nos auxilio iuuet. Iuxta illud [tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tuá deduxisti me.] Nam quia hominis natura non est admodum firma, nec satis virium habet, vt emergere e vitijs possit, opem illi fert in ea re Deus. Itaque duplicem gratiam

Psalm. 72.

tri-

tribuere cognoscitur. Cum enim monitis suadet, tum adiuuandi rationes inuenit, easque praesenti malo, vimque nobis afferente, valentiores efficit.

D. Hieronymus Pelagij dilema proponens, & illud dissoluens, inquit. [Ac per hoc (ait:) [aut vtor semel potestate, quæ mihi data est, vt liberum seruetur arbitrium: aut si alterius ope indiget, libertas arbitrij in me destruitur.] Qui hoc dicit quam non excedit blasphemiam? quæ hæreticorum venena non superat? Asserunt se per arbitrij libertatem nequaquam vltra necessarium se habere Deum, & ignorant scriptum [quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] Agamus semper gratias largitori, sciamusque nos nihil esse, nisi quod donauit in nobis, ipse seruauerit, dicente Apostolo, [non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.] Velle, & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio nó

D. Hierony. tom. 2 cótra Pelagium ad Ctesifontem cap. 3. Obijt anno a natō Domino 422.

Rom. 9.

erit meum. Dicit enim idem Apostolus, [Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere.] Et Saluator in Euangelio, [Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.] Semper largitor, semperq. donator est.] Et inferius inquit: [Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget.] Et alibi inquit. [Quod autem dixit de ficis bonis.] [Dabo eis cor, vt sciant me, quoniã ego sum Dominus; illi similis est Apostolus. [Deus est qui operatur in vobis, & velle, & perficere.] Quod non solum opera, sed voluntas nostra Dei nitatur auxilio. Et iterum dicit. [In nostra ergo positum est potestate facere quid, & non facere: Ita duntaxat, vt quidquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus. Qui iuxta Apostolum, dedit nobis, & velle, & perficere.] Et iterum inducens Apostolum ait. [Ad-

Philipp. 2.

Ioann. 5.

Cap. 4.

Lib. 5. commen. in Hierem. c. 24.

Eod. lib. in cap. 6. lib. 1. Commẽ. ad Ephes. c. 2.

didit itaque, & dixit, fidem quoque ipſam non noſtræ voluntatis eſſe, ſed Dei muneris. non quod liberum homini tollatur arbitrium, & ſecundum illud Apoſtoli ad Romanos, [neque ſit currentis, neque volentis, ſed miſerentis Dei:] verum quod arbitrij ipſa libertas Deum habeat auctorem, & ad illius beneficium cuncta referantur.] Ita igitur iuxta D. Hieronymi ſententiam, liberum arbitrium hominis à Dei auditorio dependet, vt opus meum tandiu ſit meum, quandiu ſit Dei, & ſine Dei ſemper mouentis auxilio non erit meum. Cum ergo iſti Theologi confitentur initium operationis bonæ ita eſſe meum, quod non ſit Dei mouentis, profecto manifeſte D. Hieronymo contradicunt aſſerenti, opus meum ſine Dei ſemper adiutorio, non erit meũ. Tanto itidem fœdere humanam voluntatem Diuino auxilio aſſociari edocet: vt non ſolum opera, ſed & arbitrij ipſa libertas Deum habeat auctorem. Non eſt

hæc iſtorum confeſſio. Dicunt enim Dei auxilium, & hominis liberum arbitrium, partialiter ad opus concurrere, veluti duo trahentes trabem, quorum nullus alium iuuat, ſed pro proprijs viribus pondus quiſque portat. Sic aiunt diuinum auxilium, hominis voluntatem non mouere, ſed ad opus illius, etiam Deum ex parte operari. Cuius contrarium aſtruit D. Hieron. dum ait, quod operationis, & libertatis noſtræ Deus eſt auctor.

D. Proſper Aquitanicus Obijt anno a Chriſto nato 460.

D. Proſper Aquitanicus ſemper D. Auguſtino conſentiens, plura de illius ciſterna potauit: ac mentem ſuam, & noſtram manifeſtiſſima ratione vbique declarat. Præcipue autem noſtrum facesit negocium aduerſus Collatorem, qui ex parte horum Theologorum tenuit ſententiam, volens quoſdam homines ſuam incipere conuerſionem, Deum autem proſequi, & perficere. Contra quam ſententiam ſic procedit D. Proſper. [Sed neque cum hæreticis tibi, nec cum Ca-

Contra Collatorem c. 5.

tholicis plena concordia est. Illi in omnibus iustis hominum operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia. Nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium, & vtrique parti inconueniens, reperisti. Quo neque inimicorum consensum acquireres, neque in nostrorum intelligentia permaneres. Quomodo autem non aduertis, te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis conuinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Cum aliquid præcedere boni operis, ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest, petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia, præcipue cum omnes huiusmodi etiam accipere, & venire, & intrare dicantur. In quo superfluum immo impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, vt non ex toto verum sit quod ait Do-

Ioann.6. minus. [Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me, attraxerit eum.] Si cuiusque hominis sine Dei illuminatione esset credenda conuersio, aut nullo modo se voluntas hominis ad Deum, sine Deo posset extendere, qui eum vocatum ad filium trahit, non resistentem, inuitumq. compellit: sed ex inuito, volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem, resistentis inclinat, vt cor audientis, obediendi in se delectatione generata ibi surgat, vbi præmebatur, ibi discat, vbi ignorabat, inde fidat, vnde diffidebat, inde velit, vnde nolebat.

Psalm.84. [Etenim Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.] Audiant ergo isti D. Prosperum seuerissimam contra illos ferentem sententiam, dum manifeste eos compellat hæreticos, qui hominibus, bonorum operum ex semetipsis, tribuunt primordia. Et infra cum pro regula verba Apostoli constituisset

1.Cor.12. Con.Collat. c.15. [nemo potest dicere, Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto.]

ēto,] Et ſimilia. ſic intentionem ſuam proſequitur. [Hac regula nulli hominum aufertur voluntas. Quoniam virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur, vt non ſint, ſed vt ex malis bonæ, & ex infidelibus fideles, & qui ex ſemetipſis erant tenebræ, lux efficiantur in Domino; Quod mortuum erat, viuificetur. Quod iacebat, erigatur, Quod perierat, inueniatur. Hoc in omnibus prorſus hominibus, qui eruuntur de poteſtate tenebrarum, & transferuntur in Regnum filij dilectionis Dei, ſine cuiuſquam exceptione perſonæ, agere credimus gratiam Saluatoris. Quia dicimus, atque defendimus, non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum, ex Deo eſſe principium. Qui nobis & initium ſanctæ voluntatis inſpirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi. [Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre lumi- Iac. 1.

num.] Qui & incipit, quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis.] Atque statim cum collatoris verba retulisset ita dicentis, [cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat] cui etiam sententiæ consentit horum doctrina, de qua ista connectit. [Quis non videat, quod hæc doctrina meritum libero assignat arbitrio; quo præueniatur gratia; quæ etiam famuletur, reddens debitum, non conferens donum! Quæ diffinitio in Episcoporum Palestinæ synodo, etiam a Pelagio anathemate damnata est. In eo enim, qui bonum incipit velle, & cupit ab iniquitate, atque ab errore discedere, gratiam Dei hoc ipsum profitemur operari. Quoniam [a Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet.] & [omnis vir videbitur sibi iustus, dirigit autem corda Dominus.] & [a Domino diriguntur gressus viri, mortalis autem quomodo intelliget vias suas?] Et quod ait

Cap. 16.

Psalm. 36.

Prouerb. 21.

Prouerb. 20.

Apostolus, [non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.] Iterum aduersus eumdem collatorem adiungit: [Si ergo de erumnosis vanitatibus, & insanijs fallacibus erubescens, tenebras esse, & mortem quicquid pro lumine ac vita complectebatur, intelligit, & ab his se conatur abstrahere: non est ab ipso, quamuis non sine ipso sit ista conuersio, nec propria virtute ad principia salutis innititur, sed agit hoc occulta, & potens gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum, & operum mortuorum fauillis, torrem obruti cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat: non vt inuitum hominem subigat, sed vt subiectionis cupidum faciat, nec vt ignorantem trahat, sed vt intelligentem, sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbitrium, quod vtique cum ipso homine Deus condi-

Rom. 8.

Con. Collat. c. 26.

dit, a vanitatibus, & cupiditatibus ſuis, in quas neglecta Dei lege defluxit, non a ſeipſo, ſed a creatore mutatur. Vt quicquid in eo in melius reficitur, nec ſine illo ſit, qui ſanatur, nec niſi ab illo ſit qui medetur. [Cuius ſumus noua creatura, nouumque figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.] Hæc ipſa D. Proſper Carmine prompſit dicens.

ad Epheſ. 2.

Epigram. 9.

Scire Deum cupiens, gaudere, & viuere querit.
Si verum, & ſummum norit amare Deum.
Cui tribuat, quicquid recte ſapit, optat, agitque,
Et ſine quo Carnis gloria puluis erit.
Non ergo in quoquam ſua munera deſerit auctor,
Perque ſuum dominus ſe manifeſtat opus.

Inque illis habitat Diues penetralibus hoſpes,
Quæ gaudent hoc ſe cuncta quod ipſe dedit.]

Et rurſus in libro de Ingratis ſic proſequitur. De Ingrat. c.17.

Vſque adeo donum eſt, quod credimus: & data gratis
Gratia, non merita ditat mercede vocatos.
Nec iuſtorum operum diſcernit facta, ſed omnes
Sola ex immundis mundos facit: vtq. legentem
Lectus amet, non hoc ſtudio, ſed munere ſumit.
Nam ſi ſpectatrix meritorum eſt gratia, & illis
Se tribuit, quorum eſt animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrij ſibi reperit aptos,
Inſontes tantũ, iuſtosq. ad ſumere ſolos

Debuit,

Debuit, & veri cupidos, ac recta volentes.
Peruerſos autem, & ſcelerum aſſuetudine turpes,
Deturbare procul: lucemq. negare tenebris.
Atqui Saluator mundi non præmia iuſtis
Soluere, nec ſanis venit conferre medelam.
Sed quod diſperſum exciderat, fractum atque iacebat
Querere: & inuentum reparare, ac reddere curæ

Et infra

Si vero merito a ſcribis voluiſſe renaſci,
Nempe vtero fidei parta eſt tam recta voluntas.
Porro fidem quis dat, niſi gratia? ſic, bene velle
Gratia dat tribuendo fidem, quæ credita poſcat,

Quæq. voluntatis meritum creet, ipſaq. ſolo
Naſcatur ſpirante Deo, mentemq. reformans
De cinere algenti ſopitum ſuſcitet ignem.
Ergo voluntatis Genitrix operumque creatrix
Non eſt ex merito: quoniam quod non fit ab illa
Non bene fit, quæ non recto via limite ducit.
Quanto plus graditur, tanto longinquius errat.
Siue igitur meritum, credens exiſtere poſſe,
Ante fidem, donas virtutibus impietatis:
Siue illam vis eſſe tuam, non munere dantis
Sumptam, ſed genitam de libertate volendi:
Nullam habet in vobis ſaluatrix gra-

tia ſedem,
Inflato excluſa arbitrio, quod fronte ſuperba
Erigitis, ſpatio vt grauius maiore ruatis.

His carminibus manifeſte vocat Proſper gratiam genitricem bonæ voluntatis, & bonorum operum creatricem, vt non ſolum cauſam effectiuam inſinuet ſed etiam oſtendat.

Auxilium efficax ex aliorum ſanctorum Placitis comprobatur.
Cap. XV.

DIVVS S. Fulgentius Auxilij efficacis gratiam ad ſuum fontem reducens ait. [Primo totius bonæ voluntatis initium ab illa ſempiterna Trinitate (quæ vnus ſolus & verus eſt Deus) prædeſtinatum confitemur. Et

D. Fulgẽtius lib. 1. ad Monim. fac. 28. Obijt anno a nato Domino 500.

datum. Hoc enim gratuita iustificatione tribuit præparatum: quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendú. Hanc voluntatis præparationem, superius sanctæ scripturæ testimonio demonstraui quo dictum est. [Præparatur, voluntas a Domino.] Ab ipso ergo voluntas præparatur, qui in nobis velle, & perficere misericorditer operatur. Dicit enim Apostolus. [Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.] Loquens etiam Deus per Prophetam seipsum facere confirmat, quod fidelibus donat, vt faciant, secundum illud oraculum, quod est a nobis iam supra positum, quod dicit. [Et faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis: & iudicia mea obseruetis, & faciatis.] Quid est autem faciam vt faciatis, nisi mei erit operis omne bonum, quod vos operati fueritis? Ipse ergo facit, vt faciamus, quo in nobis operante fit omne bonum, quod facimus. De quo dicitur

Prouerb. 8.

Philipp. 2.

Ezechiel. 36.

Hebr. 13. ad Hebræos. [Aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placeat coram se.] Demonstrat itaque Dei gratia in bona voluntate, & operatione hominis, futuræ quoque retributionis gloriam, quæ donabitur sanctis. Quis Diuinæ gratiæ non esse contendat, cum siue credentes, siue operantes, licet nostra sit fides, & nostra sint opera, sicut ipse Dominus di-
Matth. 25. cit, [secundum fidem tuam fiet tibi.]
1. Ioann. 5. Et Beatus Ioannes prædicat, [hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.]
Ephes. 1. Paulus quoque ita scribit. [Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.] Opera quoque
Matth. 5. nostra Dominus ipse testatur dicens, [sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona; & glorificent Patrem vestrum qui in Cœlis est.] Tamen quia ista cum habemus, non habemus ex nobis nata, sed a Deo donata;
1. Cor. 2. sicut Apostolus dicit, [nos autem non

ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis,] & quia quæcumque nobis facienda donat, ſicut habere non poſſumus, niſi ipſe nobis largiatur, ſic facere non poſſumus, niſi ipſe nobis quæ largitus eſt, operetur. Propterea nullatenus ſinimur, immo ſalubriter prohibemur, tam in noſtra fide quam in noſtro opere, tamquam noſtrum nobis aliquid vendicare. Dicit enim vas electionis: [Quid autem habes quod non accepiſti? ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?] Et in ſancto Euangelio Præcurſoris Dominici vox eſt. [Non poteſt homo accipere quidquam, niſi datum ei fuerit de cœlo.] Iacobus quoque Apoſtolus, [quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum.] Quod eſt autem magis donum perfectum, quam glorificatio futura ſanctorum?] Et alio in loco dicit. [In ſtudio ergo bonorum

1.Cor.4.

Ioann.3.

Iac.1.

Epiſt. 2, ad Galla.de ſtatu viduali fac.476.

ope-

operum, & laudis humanæ contemptu, caue ne bonum quod facis, non gratiæ Dei, ſed tuæ velis aſſignare virtuti. Immo firmiter tene, nullam tibi facultatem ineſſe poſſe voluntatis aut operis, niſi id gratuito munere Diuinæ miſerationis acceperis. Scito ergo Deum in te operari, & velle, & perficere pro bona voluntate. Proinde cum timore, & tremore tuam ſalutem operare. Humiliare in conſpectu Domini, Exaltet te. Ab illo poſce voluntatis exordium, ab ipſo poſtula bonæ operationis effectum, ab ipſo perſeuerantiæ donum pete. Nec aliquando te putes illius adiutorio deſiſtente, aliquid poſſe boni velle, ſeu facere. Illum roga, vt [auertat oculos tuos, ne videant vanitatem.] Ipſum poſtula, vt demonſtret tibi viam in qua ambules. Ipſum obſecra, vt [greſſus tuos dirigat ſecundum verbum ſuum; & non dominetur tibi omnis iniquitas.] Illum ora, vt [opera manuum tuarum dirigat ſuper te.] Vl-

Epiſt. 4. fac. 524.

terius etiam alibi vbi agit de oratione, & compunctione cordis ad Probam, sic inquit. [Sicut autem qui ad patriam tendit, donec perueniat, semper habet vbi ambulet; sic etiam nos, quandiu in hoc mortali corpore constituimur, peregrinamur a Domino. Præsens vita nobis est via, in qua semper habemus vbi possimus proficere, donec Deo perducente ad illam valeamus Beatæ immortalitatis æternam Patriam peruenire. Magnæ igitur beatitudinis est, sic in præsenti viuere seculo, vt profectui spirituali omnis fidelis operam det. Nec tamen hoc suis aliquando viribus superbus assignet; sed humili corde a Deo poscat, iugem custodiam accepti muneris, a quo emanat totius bonæ, non tantum principium, sed etiam perfectio voluntatis. Neque enim Iacobi Apostoli prædicatio, aliqua potest argumentatione cassari, dicens. [Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre Iacob. 1.

lumi-

luminum.] Neque quiſquam hominum ſiue ad cogitandum, ſiue ad operandum quodcumque bonum, poteſt eſſe idoneus, niſi fuerit munere gratuito Diuinæ opitulationis adiutus. [Deus eſt enim qui operatur in ſuis, & velle, & perficere pro bona voluntate.] Sicut vas electionis affirmat. Quo etiam docente cognouimus, quia [non ſumus idonei cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] Ille igitur nobis omnem boni ſufficientiam ſubminiſtrat, cuius non minuitur plenitudo, cum donat. Qui nobis omne bonum benigne largitur, vt habeamus, & in ſeipſo ſine diminutione permanet plenus. Quod nec Angelica poteſt, neque humana præſtare natura, ac ſic nulla licet ſpiritualis, tamen creata ſubſtantia. Quia omne quod creatum eſt, ſicut anteaquam crearetur, non fuit: ſic antequam acciperet, habere non potuit. Et ſicut ſubſiſtere non poteſt ſine illius operatione qui

Philipp. 2.

2. Cor. 3.

fecit,

fecit sic bonum, non potest velle, seu facere, nisi Deus dignetur iugiter adiuuare. Ab ipso namq. est initium bonæ voluntatis, ab ipso facultas boni operis, ab ipso perseuerantia bonæ conuersationis, ab ipso datur in præsenti sæculo vera cordis humilitas.] Et in Epistola de Conuersione ad Theodorum sic ait. [Vt ergo quædam in deteriora non recidant, gratia eius gubernat: & vt quædam ad meliora conscendant, gratia ipsius eleuat: & vt in æternum permaneant, ipsa gratia viuificat, & conseruat. Huius gratiæ adiutorium est semper nobis à Deo poscendum, sed ne ipsum quod possumus, nostris viribus assignemus. Neque enim haberi potest ipse saltim orationis affectus, nisi diuinitus fuerit attributus. Vt ergo desideremus adiutorium gratiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ. Ipsa namq. incipit infundi, vt incipiat posci. Ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur. Quis vero potest gratiam poscere

Epist. 6. fac. 564.

nisi velit? Sed nisi Deus in eo ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit.] Et paucis interiectis addit. [Vt ad Deum quoque veniamus, currimus, & ideo currimus dicit, quia currere volumus. Sed ne vel voluntatem, vel ipsum cursum, assignemus viribus nostris, idem nos informat Apostolus dicens. [Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.] Quocirca, vt in his bonis, quæ a Deo accepisti, permaneas, & proficias: vt nec inuia remaneas, nec retro redeas, nec in dexteram, sinistram ve, diuertas: quicquid habes bonæ voluntatis, vel bonæ operationis, Deo assigna, qui dedit. Et ipsum humiliter roga, vt & conseruet, & augeat quod donauit. Nihil tibi boni tanquam tuum assignes, Ne non accipias quod accipere poteras, & quod acceperas, perdas. Detestabilis est enim corporis humani superbia, qua facit homo quod Deus in hominibus damnat. Sed illa detestabilior, qua sibi tri-

Rom. 9.

buit homo, quod Deus hominibus donat.] Caueant igitur aduersæ sententiæ assertores, ne quod Dei donum, & gratia est, sibi tribuant, & non in Domino, sed in seipsis glorientur, dum sibi partem, & partem Deo suæ iustificationis ascribunt. Omnia namq. donat, donat, & facit in nobis. Deus incipit, perficit, & perseuerantiæ donum continuat.

D. Athanasius cuius creditur esse tractatus super Epistolas Pauli, qui inter opera illius circumfertur; Quamuis a quibusdam Theophilacto assignetur, super Epistolam ad Ephesios explicans illud. [Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis quæ præparauit Deus vt in ipsis ambulemus.] Docet expresse voluntatem nostram a Deo immutari, & ipsa opera bona esse a Deo præparata, & prædefinita.

D. Athanas. in Epist. ad Ephes. c. 2. Obijt anno Domini 370.

D. Gregorius loquens de efficaci motione, qua Magdalenam ad se conuertit, ait. [Quid ergo miramur fratres Mariam

D.Greg. homil. 33. Obijt anno a Christo nato 605.

venientem an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam an trahentem? [Sed melius trahentem dicam, & suscipientem: Quia nimirum ipse per misericordiam attraxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris.] Et alio in loco explicans lapidem adiutorij, sic ait. [Et quia omne quod a nobis in omni vita nostra prosperum geritur, Diuinæ gratiæ ascribitur, apte ab eo lapis ille qui in medio sistitur, lapis adiutorij vocatur. Ipse est namque lapis adiutorij, qui si nobis subuenire noluerit, vinci possumus, vincere nequimus. De quo iam in medio posito dicitur. [Vsque huc auxiliatus est nobis Dominus.] Quia eius præsidia, electos suos vsque ad æternæ retributionis tempora persequuntur.] Et in libris Moralium hoc ipsum confirmat dicens. [Saluabitur innocens. Saluabitur autem munditia manuum suarum.] Quę scilicet sententia, si de cælestis Regni retributione promittitur, veritate fulsitur.

Super 1. Regum cap.7.

Lib. 16. Moral. c. 10.

Quia cum de Deo scriptum sit, [qui reddit vnicuique secundum opera sua] illum in extremo examine, iustitia æterni iudicis saluat, quem eius pietas ab immundis operibus liberat. Sin vero ad hoc saluari quisque hic mundititia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, proculdubio erratur. Quia si superna gratia nocentem non præueniat, numquam profecto inueniet, quem remuneret innocentem. Vnde veridici Moysis voce dicitur: [Nullusq. apud te per se innocens est.] Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiscum. Quod tamen per impensam gratiam in extremo Iudicio ita remuneratur in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus ait, [gratia autem Dei sum id quod sum.] Et quia eandem gratiam nostrum liberum

Rom. 2.

Exodi 34.

1.Cor.15.

arbitrium ſequitur, adiungit, [& gratia eius in me vacua non fuit. Sed abundantius omnibus laboraui.] Qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait. [Non autem ego.] Et tamen quia ſe eſſe aliquid cum gratia inuenit, adiunxit, [ſed gratia Dei mecum.] Non enim diceret mecum, ſi cum præueniente gratia liberum arbitrium non haberet. Vt ergo ſe ſine gratia nihil eſſe oſtenderet, ait, non ego, vt vero ſe cum gratia operatum eſſe per liberum arbitrium demonſtraret, adiunxit, ſed gratia Dei mecum. Munditia itaque manuum ſuarum innocens ſaluabitur. Quia qui hic præuenitur dono, vt innocens fiat, cum ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur.] Iterum explicans illud Iob 24. [neſcit homo pretium eius,] in hac eadem ſententia perſiſtit dicens. [Huius itaque ſapientiæ homo pretium neſcit, quia quiſquis a brutis animalibus rationis intellectu diſcretus eſt, quoniam quod ſuis meritis

Lib.18. Moral.c.22.

non

non ſit ſaluatus, intelligit, nihil ſe dediſſe boni operis, vt ad fidem veniret, agnoſcit. Quaſi enim ad percipiendum ſapientiam pretium dare eſt, cognoſcendum Deum actionis ſuæ mercede præuenire. Non eſſe huius ſapientiæ pretium agnouerat, qui dicebat. [Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Hinc iterum ſcriptum eſt.] Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, vt nequis glorietur.] Hinc de ſemetipſo iterum loquitur dicens. [Gratia Dei ſum id quod ſum] ex cuius nimirum aſpiratione gratiæ, quia virtutum opera protinus in corde generantur, vt ex libero quoque arbitrio ſubſequatur actio, cui poſt hanc vitam retributio æterna reſpondeat, illico adiecit. [Et gratia eius in me vacua non fuit.] Sed ſunt nonnulli, qui ſaluos ſe ex ſuis viribus exultant, ſuisq. præcedentibus meritis redemptos ſe eſſe gloriantur. Quorum profecto aſſertio inuenitur ſibi-

metipsis contraria, dum & innocentes se asserunt, & redemptos; hoc ipsum in se redemptionis nomen euacuant. Omnis namq. qui redimitur ex aliqua proculdubio captiuitate liberatur. Vnde ergo quilibet iste redemptus est, si prius non fuit sub culpa captiuus? Liquet itaque quia multum desipit, quisquis hæc sapit. Hominis quippe meritum, superna gratia non vt veniat, inueniet, sed postquam venerit, facit. Atque & ad indignam mentem veniens Deus, dignam sibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum, quod remuneret: qui hoc solum inuenerat, quod puniret.] Hactenus D. Gregorius. Qui satis dulcide constituit gratiam operantem, & cooperantem, præuenientem, & subsequentem, ita vt omnia dicat per gratiæ auxilium, & donum præstari.

Alijs Sanctorum testimonijs eadem Gratiæ efficacis necessitas confirmatur. Cap. XVI.

D.Anſelmus de cõcordia gratiæ & lib. arbitr.

Obijt anno Domini 1110.

DIVVS Anſelmus elegantiſſimo diſcurſu demonſtrat, nihil boni poſſe hominem operari, niſi Dei gratia efficaciter eum adiuuet, & mouendo præuenerit. Ratio autem eius hunc habet modum. [Dubium itaque non eſt, quod voluntas non vult recte niſi quia recta eſt. Sicut namque non eſt acutus viſus, quia videt acute, ſed ideo videt acute, quia acutus eſt: Ita voluntas non eſt recta quia vult recte, ſed recte vult quoniam eſt recta. Cum autem vult rectitudinem, proculdubio recta eſt. Idem autem eſt voluntati rectam eſſe, & rectitudinem habere. Palam igitur eſt, quia non vult rectitu-

dinem, nisi quam rectitudinem habet. Non nego voluntatem rectam velle rectitudinem, quam nondum habet, quando vult maiorem quam habeat: sed illam dico nullam eam posse velle rectitudinem: si non habet rectitudinem, qua illam velit. Consideremus nunc vtrum aliquis hanc rectitudinem non habens, eam aliquo modo a se habere possit. Vtique illam a se habere nequit, nisi aut volendo, aut nolendo. Volendo quidem nullus valet eam per se adipisci, quia nequit eam velle, nisi illam habeat. Quod autem aliquis non habens rectitudinem voluntatis, illam valeat per se non volendo assequi, mens nullius accipit. Nullo igitur modo potest eam creatura habere ex se, sed neque creatura valet eam habere ab aliqua creatura. Sicut namq. creatura nequit creaturam saluare: ita non potest illi dare per quod possit eam saluare. Sequitur itaque, quod nulla creatura rectitudinem habet, quam dixi volunta-

tis, nisi per Dei gratiam. Hanc autem rectitudinem per liberum arbitrium seruari posse, sicut supradixi monstrauimus. Deo igitur largiente inuenimus gratiam eius, ad saluandum hominem cum libero arbitrio concordare. Ita vt gratia sola possit hominem saluare, nihil eius libero arbitrio agente. Sicut fit in infantibus, & in non intelligentibus. Ipsa semper adiuuat liberum arbitrium naturale, quod sine illa nihil valet ad salutem, dando voluntati rectitudinem quam seruat per liberum arbitrium. Et quamuis non omnibus det, quoniam [cui vult miseretur, & quem vult indurat,] nulli tamen dat pro aliquo præcedenti merito. Quoniam [quis prior Deo dedit, & retribuetur ei ?] Si autem voluntas per liberum seruando arbitrium, quod accepit, meretur aut augmentum acceptæ iustitiæ, aut etiam potestatem pro bona voluntate, aut premium aliquod: Hæc omnia fructus sunt primæ gratiæ, & gratia pro gratia: & ideo

totum imputandum est gratiæ, quia neque volentis est, quod vult, neque currentis est, quod currit, sed miserentis est Dei. Omnibus enim excepto solo Deo dicitur. [Quid habes quod non accepisti? Quid gloriaris quasi non acceperis?] Alio in loco ita scribit. [Bona specialius præscire, & prædestinare dicitur, quia in illis facit quod sunt, & quod bona sunt. In malis autem non nisi quod bona sunt essentialiter, non quod mala sunt.] Et post pauca hæc adhibet. [Quamuis autem sua, voluntas vtatur, potestate, nihil tamen facit, quod Deus non facit in bonis, sua gratia: in malis non sua, sed eiusdem voluntatis culpa.] Super Epistolam ad Ephesios dum explicat illa verba, [gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, nequis glorietur] sic ait. [Et tamen hoc non est ex nobis, sed ex vocante Deo, quia ex auditu Euangelij accepistis fidem. Dei enim donum est ipsa fides, vel voca-

De Cõcord. prædest. cum lib. arbitr.

Super Epist. ad Ephes. c. 2.

tio vestra.] Et non partim, sed pure donum Dei, quia non ex operibus vestris, idest, non est ibi admixtio operum, vt nequis glorietur.] Ecce quam explicite, & sine vllis ambagibus partialem concursum Dei,& liberi euellit arbitrij,quem contrariæ sententiæ fautores constituunt. Vbi docet Anselmus, fidem, seu vocationem, non partim, sed pure esse donum Dei, nec inter esse permistionem operum. Et paucis interpositis, [& vere, inquit, gratia saluati estis, non ex operibus vestris,quæ ex vobis ipsis habetis, sed tantum his operibus in quibus Deus vos fecit, idest formauit, seu creauit, & hoc est, ipsius enim sumus factura, & nos, & vos creati in Christo Iesu in operibus bonis: non in illa creatione, qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui vtique iam homo erat, [Cor mundum crea in me Deus.] Et Apostolus ipse alibi nouam creaturam laudat: facti ergo sumus, & creati in operibus Genesis 1. Psalm.50. Galat.6.

bonis. Quia reſtitutione liberi arbitrij data eſt nobis libertas bene operandi, ideſt facti ſumus habiles ad bene operandum. Et hoc factum eſt in Chriſto Ieſu, ideſt, in gratia eius, non in merito noſtro. Quæ opera bona Deus prædeſtinando præparauit, præueniens arbitrium noſtrum, omne namq. bonum a gratia Dei ſumit originem, & ita præparauit, vt in illis ambulemus, ideſt promoueamur, & proficiamus a bono in melius.] Et iterum inferius addit. [Si bene conſiderentur quæ dicta ſunt, aperte cognoſcitur, quia cum aliquid dicit ſacra ſcriptura pro gratia, non amouet omnino liberum arbitrium, nec cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam: quaſi ſola gratia, aut liberum arbitrium ſolum ſufficiat ad ſaluandum hominem. Sicut videtur illis qui hanc faciunt quæſtionem. Ita quippe intelligenda ſunt dicta Diuina, vt hoc excepto quod dixi de infantibus, nec ſola gratia, nec ſolum liberum arbitrium, ſa-

lutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus. [Sine me nihil poteſtis facere] non ait, nihil valet vobis veſtrum liberum arbitrium, ſed nihil poteſt ſine mea gratia. Et cum legitur [neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.] non negatur in voluntate, neque in currente, aliquid prodeſſe liberum arbitrium, ſed ſignificatur, non eſſe imputandum libero arbitrio, quod vult, & quod currit, ſed gratiæ. Nam cum ait neque volentis neque currentis eſt, ſubaudiendum eſt, quod vult, & quod currit. Velut cum aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum a ſe poteſt indumentum habere, dat veſtem. Non tamen quamuis habeat poteſtatem vtendi, & non vtendi, accepta veſte, ſi ea vtitur, imputandum eſt induto, quia indutus eſt, ſed danti veſtem. Quapropter ita dici poteſt, non eſt induti, quod eſt indutus, ſed miſerentis, ideſt veſtem dantis. Multo magis hoc diceretur, ſi ille qui dedit

Ioan.15.

Rom.9.

veſtem, dediſſet etiam poteſtatem ſeruandi eam, & vtendi. Sicut Deus cum dat homini rectitudinem ſæpe fatam, dat etiam poteſtatem ſeruandi,& vtendi:quia dedit prius liberum arbitrium ad ſeruandum illam, & vtendum. Et poſt pauca, [idem (inquit) intellectus habendus eſt in alijs, in quibus ſcriptura loquitur pro gratia, vt ſcilicet liberum non excludatur arbitrium. Similiter quando ità loquuntur Diuina dicta, vt libero arbitrio ſoli videantur ſalutem hominis attribuere; nullo intellectu gratia ſeparanda eſt. Sicut ergo quamuis naturalis vſus nón procreet prolem ſine patre, nec niſi per matrem: non tamen remouet vllus intellectus, aut patrem, aut matrem a generatione prolis. Ita gratia, & liberum arbitrium, non diſcordant, ſed conueniunt ad iuſtificandum, & ſaluándum hominem. In his tamen in quibus videtur ſcriptura liberum arbitrium ad operandum inuitare, quia cur hominem inuitet

ad recte volendum, & quare arguat non obedientem, cum ipsam rectitudinem nemo possit nisi gratia dante habere, vel accipere? Sciendum est, quia sicut terra innumerabiles herbas, & arbores sine quibus humana natura alitur, aut etiam quibus perimitur, sine hominis cura profert. Illa vero, quæ nobis ad vitam nutriendam maxime sunt necessaria, non sine magno labore, atque cultore, nec absque seminibus. Ita corda humana sine doctrina, sine studio, sponte quasi germinant cogitationes, & voluntates nihil vtiles saluti, aut etiam noxias. Illas vero sine quibus ad salutem animæ non proficimus, nequaquam sine generis sui semine, & laboriosa cultura concipiunt, & germinant. Vnde illos homines, quibus talis cultura impenditur, agriculturam Dei vocat Apostolus. Est autem semen huius agriculturæ verbum Dei, immo non verbum, sed sensus, qui percipitur per verbum. Vox namq. sine sensu nihil

constituit in corde; nec solum sensus verbi, sed omnis sensus, vel rectitudinis intellectus, quæ mens humana, siue per auditum, siue per lectionem, siue per rationem, siue quolibet alio modo concipit, semen recte volendi dicitur. Nullus namq. velle potest, quod prius corde non concipit. Velle autem credere, quod est credendum, est recte velle. Nemo ergo potest hoc recte velle, si nescit quid credendum est. Cum enim præmisisset Apostolus, [omnis quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit,] subiunxit, [quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?] Et paulo post. [Ergo fides ex auditu, auditus vero per verbum Christi.] Quod autem dicit, fidem esse ex auditu, intelligendum est, quia fides est ex hoc quod concipit mens per auditum. Nec ita vt sola con-

ceptio mentis faciat fidem in homine, ſed quia fides eſſe nequit ſine conceptione. Addita namq. rectitudine volendi conceptioni per gratiam, fit fides. Quia credit quod audit. Auditus autem eſt per verbum Chriſti, hoc eſt per verbum prædicantium Chriſtum. Prædicantes vero non ſunt, niſi mittantur. Sed quod mittuntur gratia eſt. Quapropter & prædicatio gratia eſt, quia gratia eſt, quod deſcendit ex gratia. Et auditus eſt gratia, intellectus ex auditu gratia, & rectitudo volendi gratia eſt. Verum miſſio, prædicatio, auditus, intellectus, nihil ſunt, niſi voluntas velit, quod mens intelligit. Quod voluntas facere nequit, niſi accepta rectitudine. Recte namq. vult, cum vult quod debet. Ita quod mens exauditu verbi concipit, eſt prædicantis, & rectitudo eſt incrementum, quod Deus dat. Sine quo [neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid: ſed qui incrementum dat Deus.] Adeo perſpicua ſunt hæc 1.Cor.3.

Anſelmi dicta ad retundendam aduerſariorum ſententiam vt nulla explicatione, ſed ſola conſideratione indigeant.

D. Bernard. de gratia & libero arbit. Obijt anno a nato Domino 1153.

D. Bernardus lactea, mellifluaque ſua ſapientia, hanc quæſtionem decidit, ac ex ea emergentes difficultates enodat. Et his verbis eam explicare incipit. [Itaq. liberum arbitrium nos facit volentes, gratia beneuolos. Ex ipſo nobis eſt velle, ex ipſa bonum velle. Quemadmodum namque aliud eſt timere ſimpliciter, aliud timere Deum, & aliud amare ſimpliciter, aliud eſt amare Deum: quippe timere, & amare ſimpliciter quidem prolata affectiones, cum additamento autem virtutes ſignificant. Ita quoque aliud eſt velle, aliud velle bonum, ſimplices nempe affectiones inſunt naturaliter nobis, tanquam ex nobis, additamenta ex gratia. Nec aliud profecto eſt niſi quod gratia ordinat, quas donauit creatio, vt nil aliud ſint virtutes, niſi ordinatæ affectiones,] & paucis interpoſitis, ſic ait. [Sane dia-

bolo nostra nos mancipat voluntas: non ipsius potestas. Deo subijcit eius gratia, non nostra voluntas. Nostra quippe voluntas bona quod fatendum est, a bono Deo creata, perfecta tamen non erit, quousque suo Creatori perfecte subiecta sit. Absit tamen, vt ipsi soli ipsius perfectionem, Deo autem tantum Creationem tribuamus. Cum longe nimirum melius sit esse perfectam, quam factam. Et dictu ipso nefas videatur, Deo quod minus, nobis quod excellentius sit attribuere. Sentiens denique Apostolus quid ex natura esset, quid ex gratia expectaret, aiebat. [Velle adiacet mihi, perficere non inuenio.] Sciebat profecto velle quidem sibi inesse ex libero arbitrio: sed vt ipsum velle perfectum haberet, gratiam se habere necessariam. Si enim velle malum, defectus quidem est voluntatis: vtique bonum velle perfectio eiusdem erit. Sufficere vero ad omne quod volumus bonum, ipsius perfectio. Vt

ad Rom. 7.

ergo

ergo velle nostrum quod ex libero arbitrio habemus, perfectum habeamus: duplici gratiæ munere indigemus, & vero videlicet sapere, quod est eiusdem in bonum conuersio, & pleno etiam posse, quod est eiusdem in bonum confirmatio.] Inferius etiam super addit. [De cætero libero arbitrio nec extra ipsum quærat damnationis causam; quod iam non damnat, nisi propria culpa: neque ab ipso salutis merita, quod sola saluat misericordia. Cuius quippe conatus ad bonum, & cassi sunt, si a gratia non adiuuentur, & nulli, si non excitentur.] Et
Psalm.34. post pauca adhibet. [Itaque non liberi arbitrij, sed [Domini est salus.] Immo ipse salus, ipse & via est ad salutem. Qui
Ioann.14. ait, [salus populi ego sum.] Qui item
1.Cor.1. perhibet [ego sum via.] Se fecit viam, qui & salus erat, & vita: vt non glorietur omnis caro. Si ergo bona viæ sunt merita, sicut & patriæ salus, & vita: & verum
Psalm.13. est quod ait Dauid, [non est qui faciat

bonum, non eſt vſque ad vnum,] illum videlicet vnum, de quo iterum dicitur, [nemo bonus niſi ſolus Deus,] Dei ſunt proculdubio munera, tam noſtra opera, quam eius præmia: Et qui ſe fecit debitorem in illis, fecit & nos promeritores ex his.] Clarius adhuc poſt pauca procedit, ita vt nulla ſuperſit de eius ſententia hæſitandi ratio. [Denique, (inquit) & Paulus de ſe, ſuiq; ſimilibus audacter pronunciat: [Coadiutores enim Dei ſumus.] Ibi itaque Deus homini benigne merita conſtituit, vbi per ipſum, & cum ipſo, boni quidpiam operari dignanter inſtituit. Hinc coadiutores Dei, etiam cooperatores Spiritus ſancti, promeritores Regni, nos eſſe præſumimus: quo per conſenſum vtique voluntarium Diuinæ voluntati coniungimur. Quid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrij opus, hoc ſolum eius eſt meritum, quod conſentit? Eſt prorſus. Non equidem, quod vel ipſe conſenſus in quo omne meritum Matth. 10. 2. Cor. 3.

Philipp. 2.

consistit, ab ipso sit, cum nec cogitare quod minus est quam consentire, aliquid a nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, idest cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: Primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit, ministrando consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum, internus opifex innotescit. Sane ipsi nos præuenire nequaquam possumus: Qui autem bonum neminem inuenit, neminem saluat, quem non præuenit. Ab eo, ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum. Verum consensus, & opus, & si non ex nobis,

non

non iam tamen ſine nobis, neque primum itaque, in quo, quippe nos nil facimus: nec vltimum, quod & plerumque extorquet, aut timor inutilis, aut ſimulatio damnabilis: ſed tantum mediũ nobis reputatur in meritum. Sola nempe interdum bona voluntas ſufficit, cætera non proſunt, ſi ſola defuerit. Non proſunt dixerim, ſed agenti, non cernenti. Valet itaque intentio ad meritum, actio ad exemplum, vtramque præueniens cogitatio, tantummodo ad excitandum. Cauendum ergo cum hæc inuiſibiliter intra nos, ac nobiſcum actitari ſentimus, aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt, aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt: ſed ſoli gratiæ, qua plenus eſt. Ipſa liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum: ſanat, cum immutat affectum: roborat, vt perducat ad actum: ſeruat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præ-

ueniat, in cæteris comitetur: Ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur: Ita tamen quod a sola gratia cæptum est, pariter ab vtraque perficitur: vt mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium: sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum ex illa: sed vt totum in illo, sic totum ex illa. Credimus placere lectori, quod a sensu Apostoli nunquam recedimus. Et qua qua versum euagetur oratio, in eadem pene ipsius verba frequenter recidimus. Quid enim nostra
Rom. 9. aliud sonant, quam illud, ergo [neque volentis, neque currentis sed miserentis est Dei,] quod sane non ideo dicit quasi quis velle, aut currere poterit in vanum. Sed quod is qui vult, & currit, non in se, sed in eo, a quo accipit & velle, & currere, debeat gloriari. Denique ait, [quid
1.Cor.4. habes quod non accepisti?] Crearis, sa-

naris,

naris, saluaris, quid horum tibi ex te homo? Quid horum non impossibile libero arbitrio? Nec creare, qui non eras: nec iustificare, peccator: nec mortuus poteras teipsum resuscitare. Vt cætera prætermittam bona, quæ aut sanandis necessaria sunt, aut saluandis reposita.] Denique iuxta finem tractatus de gratia, & libero arbitrio ita concludit. [Igitur qui recte sapiunt, triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrij, sed Diuinæ gratiæ in ipso, siue de ipso. Prima, creatio, secunda, reformatio, tertia, consummatio. Primo namque in Christo creati sumus in libertatem voluntatis. secundo reformamur per Christum, in spiritum libertatis. cum Christo, deinde consummandi in statum æternitatis. Siquidem quod non erat, in illo creari oportet, quod erat per formam, reformari deformem, membra non perfici nisi cum capite. Quod vtique tunc complebitur, [cum omnes oc-

Ibidem.

Ephes. 4.

curremus in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quando apparente Christo vita nostra, apparebimus, & nos cum ipso in gloria.] Cum igitur consummatio fieri habeat de nobis, siue etiam in nobis, non autem a nobis; creatio vero facta sit & sine nobis: Sola quæ nobiscum quodammodo fit propter consensum voluntatis nostræ, in merita nobis reputabitur reformatio. Ipsa sunt ieiunia nostra, vigiliæ, continentia, operaq; misericordiæ, cæteraq; virtutum exercitia, per quæ vtique constat interiorem hominem nostrum renouari de die in diem. Dum & intentio terrenis incuruata curis, de imo paulatim ad superna resurgit: & affectio circa carnis desideria veterum operum turpitudine sordens, bonis nouisque actibus candidata in dies hilarescit. In his nempe tribus interior renouatio consistit: rectitudine scilicet intentionis, puritate

Ibidem.

Ephes. 4.

affectionis, recordatione bonæ operationis, per quam sibi bene conscia memoria enitescit. Verum hæc cum certum sit Diuino in nobis actitari Spiritu, Dei sunt munera: Quia vero cum nostræ voluntatis assensu, nostra sunt merita.] In fine eiusdem tractatus loquens de corona Iustitiæ, quæ reposita est diligenti aduentum Christi, ait. [In eo enim sibi Iustitiæ consortem, & coronæ statuit promeritorem, cum operum quibus erat illa repromissa corona, habere dignatus est coadiutorem. Porro coadiutorem fecit, cum fecit volentem; hoc est suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo a Deo voluntas est, & meritum, nec dubium quin a Deo & velle, & perficere pro bona voluntate: Deus igitur auctor est meriti, qui, & voluntatem applicat operi; & opus explicat voluntati.] Adeo claris verbis D. Bernardus Ibidem.

procedit, vt omnis ſuperuacanea ſit explicatio. Vniuerſa namque Deo tribuit, coronam, meritum, opera, bonam voluntatem, eiuſdem applicationem ad opus in omnibus, ſiquidem præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, & anticipat miſericordia eius quia pauperes facti ſumus nimis.

Pſalm. 78.

Deum mouere efficaciter hominis voluntatem teſtimonijs D. Thomæ comprobatur. Cap. XVII.

DIVVS Thomas clarius omnibus ſanctis de re hac loquitur, vbicumque de gratia, & libero arbitrio diſputandi ſeſe offert occaſio. Ac quomodo Deus in omnibus operetur, edocet. Vnde in prima parte quæritur, vtrum voluntas Dei neceſſitatem rebus volitis imponat? Et reſpondet

D. Thom. 1. parte q. 19. art. 8. Obijt anno Dñi 1274.

dicen-

dicendum, [quod Diuina voluntas quibuſdam volitis neceſſitatem imponit,non autem omnibus, & hoc propter efficaciam ipſius. Cum enim aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantum ſecundum id quod fit, ſed etiam ſecundum modum fiendi vel eſſendi. Ex debilitate enim virtutis actiuæ in ſemine contingit, quod filius naſcitur diſſimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi. Cum igitur voluntas Diuina ſit efficaciſſima non ſolum ſequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam Deus fieri neceſſario, quædam contingenter,vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi. Et ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proueniunt. Quibuſdam autem aptauit cauſas contingentes, defectibiles, ex quibus effectus con-

tin-

tingentes eueniant.] Ecce quam aperte doceat doctor Angelicus Deum omnia mouere efficacissime iuxta naturas, & conditiones eorum, necessaria, necessario, contingentia, contingenter. Mouet igitur liberum arbitrium libere, natiua libertate non sublata, sed aucta: dum per gratiam præparat illud, & excitat præparatum, & excitatum adiuuat. Gratia namq. non destruit naturam, sed perficit. Alibi etiam dum disputat vtrum homo sit liberi arbitrij, probat quod non tertio argumento, quod est huiusmodi. [Liberum est quod sui causa est, vt dicitur in primo Metaph. Quod ergo mouetur ab alio, non est liberum, sed Deus mouet voluntatem. Dicitur enim Prouerb. 21. [Cor Regis in manu Domini, & quocunque voluerit vertet illud,] & Philipp. 2. [Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere,] ergo homo non est liberi arbitrij. Respondet huic argumento. Quod liberum arbitrium est causa sui mo

1.par. q. 83. art. 1. ad 3.

tus, quia homo per liberum arbitriũ ſeipſum mouet ad agendum, non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui, id quod liberum eſt: ſicut nec ad hoc quod aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quod ſit prima cauſa eius. Deus igitur eſt prima cauſa mouens, & naturales cauſas, & voluntarias, & ſicut naturalibus cauſis, mouendo eas, non aufert quin actus earum ſint naturales: ita mouendo cauſas voluntarias, non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ. Sed potius hoc in eis facit, operatur enim in vnoquoque ſecundum eius proprietatem.] Ecce inter proponendum argumentum, proponit doctor ſanctus Deum mouere voluntatem, conſtat autem ſermonem texere de motione efficaci, & phiſica, quod patet inter ſoluendum, quia inquit, quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus non vt cauſa prima, ſed vt cauſa ſecunda, ſicut nec adhoc quod aliquid ſit cauſa alterius, re-

quiritur quod sit causa prima. Et hoc in toto processu solutionis patet. In eodem similiter articulo proponit hoc argumentum. [Quicumque est liberi arbitrij, eius est velle operari, & non operari, sed hoc non est hominis. Dicitur enim ad Rom. 9. [non est volentis scilicet velle, neque currentis scilicet currere,] ergo homo non est liberi arbitrij. Dissoluit autem hunc nodum hoc pacto dicens, quod verbum illud Apostoli non sic est intelligendum, quasi homo non velit, & non currat libero arbitrio, sed quod liberum arbitrium, ad hoc non est sufficiens nisi moueatur, & iuuetur à Deo, vbi perspice non solum esse necessarium auxilium coadiuuans, sed etiam præmouens ipsum hominis liberum arbitrium. Inferius similiter querit, vtrum Deus operetur in omni operante? Et suppositis quibusdam, respondet, [quod Deus in quolibet operante operatur secundum rationem causæ finalis, efficientis, & for-

Ibidē ad 2.

1.par.q.105. art.5.

malis. Primo quidem ſecundum rationem finis, cum enim omnis operatio ſit propter aliquod bonum, verum, vel apparens; nihil autem eſt, vel apparet bonum, niſi ſecundum quod participat aliquam ſimilitudinem ſummi boni, quod eſt Deus, ſecundum quod ipſe Deus ſit cuiuſlibet operationis cauſa, vt finis. Similiter conſiderandum eſt, quod ſi ſint, multa agentia ordinata, ſemper ſecundum agens agit in virtute primi agentis, nam primum agens mouet ſecundum ad agendum,& ſecundum hoc omnia agunt in virtute ipſius Dei: & ita ipſe eſt cauſa omnium actionum agentium. Tertio conſiderandum eſt, quod Deus mouet non ſolum res ad operandum quaſi applicando formas, & virtutes rerum ad operandum, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit, ſed etiam dat formam creaturis agentibus,& eas tenet ineſſe. Vnde non ſolum eſt cau-

ſa actionum, inquantum dat formam, quæ eſt principium actionum, ſicut generans dicitur eſſe cauſa motus grauium, & leuium, ſed etiam ſicut cauſa ſeruans formas & virtutes rerum, provt ſol dicitur cauſa manifeſtationis colorum, inquantum dat, & conſeruat lumen, quo manifeſtantur colores. Et quia forma rei eſt intra rem, & tanto magis, quanto conſideratur, vt prior, & vniuerſalior, & ipſe Deus eſt cauſa eſſe vniuerſalis in rebus omnibus, quod inter omnia eſt magis intimum rebus, ſecundum quod Deus in omnibus intime operatur.] Non oportet hæc explicando verba prodigere. Patent enim ipſiſſima motionis diuinæ principia quibus cuncta mouet ex nunc dictis a D. Thoma. Cæterum, & in prima ſecundæ hoc ipſum edocet, dum querit, vtrum voluntas moueatur a Deo ſolo ſicut ab exteriori principio? Diſſoluit
1.2.q.9. art. 6.
autem difficultatem hanc in corpore articuli, aſſerendo [quod motus voluntatis

eſt

eſt ab intrinſeco, ſicut & motus naturalis: quamuis autem rem naturalem poſſit aliquid mouere, quod non eſt cauſa naturæ rei motæ: tamen motum naturalem cauſare non poteſt, niſi quod eſt aliqualiter cauſa naturæ. Mouetur enim lapis ſurſum ab homine, qui naturam lapidis, non cauſat, ſed hic motus non eſt lapidi naturalis. Naturalis autem motus eius non cauſatur, niſi ab eo quod cauſat naturam. Vnde dicitur in 8. Phyſic. quod generans mouet ſecundum locum grauia, & leuia. Sic ergo hominem voluntatem habentem contingit moueri, ab aliquo qui non eſt cauſa eius. Sed quod motus voluntarius eius ſit ab aliquo principio extrinſeco, quod non eſt cauſa voluntatis, eſt impoſſibile. Voluntatis autem cauſa, nihil aliud eſſe poteſt quam Deus. Eiuſdem igitur eſt dare actum ſeu motum, qui eſt neceſſario a principio intrinſeco, cuius fuit dare ipſum intrinſecum principium, vti nihil dat graui motum

natu-

naturalem deorſum, niſi quod dederit grauitatem. Verumtamen humana voluntas hoc habet peculiare, quod a nullo alio poteſt moueri, niſi a ſe, & a ſua cauſa. Implicat enim moueri, niſi motu ſuæ naturæ conuenienti, non inquam poteſt in ſua intrinſeca actione vim pati. Cum ei velle ſit impoſſibile, niſi ipſa vim contulerit per inclinationem ſuam. Bene autem ſepius vim patitur in actibus exterioribus, qui ab ipſa imperantur.]. Vnde attente Doctor ſanctus dixit, ſic ergo hominem voluntatem habentem contingit moueri ab aliquo qui non eſt cauſa eius; homo namq. voluntatem habens, cogitur quandoque: voluntas vero in ſuis intrinſecis cogi non valet. Paucis item interiectis, ait, [quod Deus mouet voluntatem hominis ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis quod eſt bonum, & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle, ſed homo per rationem determinat ſe ad volen-

Ad tertium.

dum,

dum, hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquem ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos mouet per gratiam.] Inferius quoque explicat, voluntatem hominis per hoc, quod a Deo mouetur, nequaquam ad aliquid vnum necessitari, sed sub suæ libertatis indifferentia remanere. Quærit namque: Vtrum voluntas moueatur de necessitate ab exteriori motiuo, quod est Deus? Et Respondet, [quod sicut dicit Dionys. 4. c. de diuinis nominibus, ad prouidentiam Dei non pertinet naturam rerum corrumpere, sed seruare. Vnde omnia mouet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessarijs, per motionem diuinam, consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus, sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferen-

Ad tertium. 1.2.q.10.art.4.0.

ter se habens ad multa, sic Deus ipsam mouet, quod non ex necessitate ad vnum determinetur, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in
Ad tertium. his ad quæ naturaliter mouetur.] Vt autem magis pateat, quo pacto motio efficacis auxilij Diuini, quo mouetur voluntas, & eius libertas stent simul, annectit post pauca; [quod si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moueatur. Non tamen est impossibile simpliciter, vnde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moueatur.] Superius itidem docet, [quod Deus mouet hominem ad agendum, non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sed etiam sicut mouens ipsam voluntatem quia omnis motus tam voluntatis quam naturæ ab eo procedit, sicut a primo mouente. Et sicut non est contra rationem naturæ, quod motus naturæ sit a Deo, sicut a primo mouente,

1.2.q.6.ar.1. ad tertium.

inquan-

inquantum natura eſt quoddam inſtrumentum Dei mouentis, ita non eſt contra rationem actus voluntarij, quod ſit a Deo, inquantum voluntas a Deo mouetur. Eſt tamen communiter de ratione naturalis, & voluntarij motus, quod ſint a principio intrinſeco.] Attendat lector quomodo D. Thom. in ſua ſententia perſeuerat, quod Deus mouet voluntatem hominis efficaciter, vt cauſa prima efficiens. Hoc ipſum alibi confirmat, vbi querit an voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio? Et reſpondet, [quod ſecundum quod voluntas mouetur ab obiecto, manifeſtum eſt quod poteſt moueri ab aliquo exteriori, ſed eo modo quo mouetur quantum ad exercitium actus. Adhuc neceſſe eſt ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moueri. Omne enim quod quandoque eſt agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente,] & poſt pauca ſubdit. [Quod de ratione voluntarij eſt, 1. 2. q. 9. art. 4. o. Ad Primum

quod principium eius sit intra, sed non oportet, quod principium hoc intrinsecum sit primum principium non motum ab alio. Vnde motus voluntarius & si habeat principium proximum, intrinsecum, tamen principium primum est ab extra, sicut & primum principium naturalis est ab extra, quod scilicet mouet

1. 2. q. 109. art. 1. o.

naturam.] Similiter supra sic procedit Doctor sanctus. [Videmus in corporalibus quod ad motum non solum requiritur ipsa forma, quæ est principium motus, vel actionis, sed etiam requiritur motio primi mouentis; Primum autem mouens in ordine corporalium: est corpus cæleste. Vnde quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret, nisi per motionem Corporis cœlestis. Manifestum est autem, quod sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in primum mouens corporale: Ita omnes motus tam corporales, quam spirituales, reducun-

tur

tur in primum mouens ſimpliciter, quod eſt Deus. Ideo quantumcunque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moueatur a Deo.] Eodem verborum tenore procedit inferius, vbi, ait. [Quod ſecundum vtrumq. ſtatum ſiue naturæ integræ, ſiue naturæ corruptæ, natura humana indiget auxilio Diuino ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, ſicut primo mouente,] & verſus finem corporis articuli ſic dicit; [ſic igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad vnum, ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale. Sed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo, ſcilicet, vt ſanetur, & vlterius, vt bonum ſuper naturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Vlterius autem in vtroque ſtatu indiget homo auxilio Diuino, vt ab ipſo moueatur ad bene agendum,] Et infra querit,

art.2.o.

art.4.o.

an gratia conuenienter diuidatur, in præuenientem, & ſubſequentem? ac reſpondet. [Quod ſicut gratia diuiditur inoperantem, & cooperantem, ſecundum diuerſos effectus, ita etiam in præuenientem, & ſubſequentem, qualitercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus eſt, vt anima ſanetur. Secundus, vt bonum velit. Tertius eſt, vt bonum quod vult efficaciter operetur. Quartus eſt, vt in bono perſeueret. Quintus, vt ad gloriam perueniat. Et ideo gratia ſecundum quod cauſat in nobis primum effectum, vocatur præueniens, reſpectu ſecundi effectus. Et ſicut vnus effectus eſt poſterior vno effectu, & prior alio, ita gratia poteſt dici præueniens, & ſubſequens ſecundum eundem effectum, reſpectu diuerſorum.] Ecce conſtituit effectus gratiæ præuenientis velle bonum, & illud perficere, alio itidem loco dicit, 1. 2. q. 109. art. 9. o. [quod homo ad recte viuendum dupliciter

citer Dei auxilio indiget. Vno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata eleuetur ad operanda opera vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, vt a Deo moueatur ad recte agendum. Et hoc propter duo. Primo quidem ratione generali propterea quod nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis Diuinæ. Secundo ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæquidem, licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad Carnem; per quam ſeruit legi peccati. Vt dicitur ad Rom. 7.] Inferius ſimiliter ait, dum inter gratiam operantem, & cooperantem diſtinguit. [Quod operatio alicuius effectus non attribuitur mobili, ſed mouenti, in illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota,

1. 2. q. 111. art. 2. o.

& non mouens, ſolus autem Deus mouens, operatio Deo attribuitur: & ſecundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra, & mouet, & mouetur, operatio non ſolum attribuitur Deo, ſed etiam animæ. Et ſecundum hoc dicitur gratia cooperans.] Ecce Doctor ſanctus nos docet, quod in quibuſdam actibus Deus ſolus eſt mouens, puta dum facit nos velle, præueniendo, & inclinando. Itaque vt velimus in nobis, ſine nobis operatur. In quibuſdam vero actibus, ſcilicet in quibus volumus, non Deus ſine nobis, ſed nobiſcum cooperatur: Quibus omnibus concordat dictum D. Auguſtini vbi de filijs Dei loquitur, de quibus ait, Apoſtolus, quod ſpiritu Dei aguntur. inquit enim, [quod aguntur, vt agant, non vt ipſi nihil agant.] Et alio in loco D. Thomas diſſoluit quoddam argumentum, quo probare nititur, quod voluntas non libere ſed ex neceſſitate eligat, & eſt hu-

De Correct. & gratia c.7

iuſmodi. [Cum omne animal moueat ſe ipſum per appetitum, alia tamen animalia ab homine, non habent liberam electionem, quia eorum appetitus a quodam exteriori mouente mouetur, ſcilicet ex virtute corporis cœleſtis, vel ex actione alicuius corporis: Si ergo voluntas hominis immobiliter mouetur a Deo, ſequitur quod homo non habeat liberam electionem ſuorum actuum. Reſpondet huic argumento, quod animalia bruta mouentur per inſtinctum ſuperioris agentis ad aliquid determinatum ſecundum modum formæ particularis, cuius conceptionem ſequitur appetitus ſenſitiuus. Sed Deus mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non poteſt. Sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diuerſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus prouidentia Diuina infallibiliter operatur, & tamen à cau-

De malo q.6 art. vnico ad tertium.

ſis contingentibus proueniunt effectus contingenter, inquantum Deus omnia mouet proportionabiliter, vnumquodque ſecundum ſuum modum.] Hoc ipſum confirmat hoc pacto dicens. [Corpus cœleſte agit in hæc inferiora neceſſario quaſi neceſſitatem inducens quantum eſt de ſe, & ideo effectus eius neceſſario euenit, niſi ſit aliquid reſiſtens. Sed Deus in voluntate agit, non per modum neceſſitatis, quia voluntatem non cogit, ſed mouet eam non auferendo ei modum ſuum, qui in libertate ad vtrumlibet conſiſtit, & ideo quamuis Diuinæ voluntati nihil reſiſtat, tamen voluntas, & quælibet alia res exequitur Diuinam voluntatem ſecundum modum ſuum, quia & ipſum modum, Diuina voluntas rebus dedit, vt ſic eius voluntas impleretur. Et ideo quædam, explent Diuinam voluntatem neceſſario, quædam contingenter; Quamuis illud quod Deus vult ſemper fiat.] Alia plura Doctoris ſancti teſti-

De Veritate q.6. ar.3. ad tertium.

monia quæ idipſum oſtenderent, poſſemus adducere, ſed timeo ne plurium congeries potius nauſeam generet, quam deſideratum effectum aſſequatur. Vni autem aduertat lector, quo doctor Angelicus perfecte ſuam mentem videtur exprimere. Cum enim probaſſet Deum mouere voluntatem humanam per modum agentis abſque violentia ex illo, [Cor regis in manu Domini quocunque voluerit inclinabit illud,] & ex illo [Deus eſt qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.] Subdit e veſtigio. [Quidam vero non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præiudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has auctoritates male exponere. Vt ſcilicet dicerent, quod Deus cauſat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi. Non autem ſic quod faciat nos velle hoc, vel illud, ſicut Origines exponit in 3. Periarchon. Liberum arbitrium defendens

3. contra gẽtes Cap. 89.

Prouerb. 21.

Philipp. 2.

contra authoritates prædictas. & ex hoc processisse videtur opinio quorundam, qui dicebant. Quod prouidentia non est de his quæ subsunt libero arbitrio scilicet de electionibus, sed prouidentia refertur ad exteriores euentus. Non enim qui elegit aliquid consequi, vel preficere, puta ædificare, vel ditari, semper poterit ad hoc peruenire: & sic euentus actionum nostrarum nō subsunt libero arbitrio nostro, sed prouidentia disponuntur. Quibus quidem auctoritatibus sacræ scripturæ resistitur euidenter. Dicitur enim Isaiæ 26. [omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.] Vnde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem. Præterea hoc ipsum quod Salomon dicit, [Cor Regis in manu Domini quocunque voluerit inclinabit illud] ostendit, non tantum diuinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius.] Hæc D. Thomas. Cui data est diuini-

tus ſapientiæ. Cui reuelata ſunt ſecreta Coeleſtia. Cuius doctrinam ſçpius Apoſtolica ſedes approbauit. Cuius ſententias de verbo aduerbum indiffinitionibus Conciliorum deſumptas, paſſim reperies. Innocentius. 6. Cuius doctrinam commendat in ſermone de eius laudibus, qui incipit. [Ecce pluſquam Salomon hic.] Qui cum miris ſcripta doctoris angelici extuliſſet encomijs, in hæc verba prorrumpit. [Huius doctoris ſapientia præ Cæteris (excepta canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuerit, inueniatur a tramite deuiaſſe. Et qui eam impugnauerit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus. Ioannes. 22. in Bulla canonizationis illius. Clemens. 6. in quadam bulla quam refert Caſtillo centuria. 1. lib. 3. c. 35. Vrbanus. 6. in bulla ad Archiepiſcopum, & doctores vniuerſitatis Toloſanæ. ædita 30. Aug. anno. 1 5 6 9. mire laudat, &

approbat doctrinam eius Pius 5. cum in Ecclesiæ doctorem eum exibuit, ait, ipsũ Ecclesiam sua doctrina illuminasse, innumeras hæreses interemisse, & quæ post eius obitum sunt subortæ doctrina ipsius corruisse. Denique in ipsius historia legimus, quod dum quosdam tractatus suos pedibus offerret crucifixi, vt si quid esset corrigendum ipse corrigeret, Crucifixus respondit, Bene scripsisti de me Thoma; quam ergo accipies pro tuo labore mercedem.

Ad huc aliorum ſanctorum Teſtimonijs efficax auxilium præueniens ſtabilitur. Cap. XVIII.

DIVVS Bonauentura ex profeſſo hãc diſcutit quęſtionẽ Interrogãs An gratia comparetur ad animam in ratione motoris? & reſpondet, [quod abſque dubio, ſicut auctoritates ſanctorum dicũt, neceſſe eſt ponere liberum arbitrium a gratia moueri, & excitari. Ab ipſa enim gratia operante pręuenitur, & cooperante ad opera meritoria eleuatur. Ita quod reſpectu operis meritorij, gratia eſt ſicut principalis motrix, & voluntas ſicut pediſequa. Qualiter autem ipſa gratia cum ſit accidens animæ ipſam habeat, mouere, hoc habet difficultatem. Ad huius autem difficultatis explicationem duplex eſt modus dicendi,

D. Bonauentura in 2. ſententiarũ diſtincte 26. art. 1. q. 6. Obijt ãno. à Nat. Dñi. 1283.

ſeu intelligendi, ſecundum quem liberum arbitrium dicitur a gratia moueri, Vnus modus dicendi eſt, quod gratia mouere dicitur liberum arbitrium, quoniam ipſa eſt diſpoſitio ad quemdam ſpiritualem motum. Sicut enim pondus in corporibus diſponit ad motum, ſic etiam ſuo modo pondus in ſpiritualibus. Gratia autē eſt, quoddam ſpirituale pondus datum animæ, per quod habet ſurſum tendere: Et quoniā liberum arbitrium eſt natum ſeipſum mouere ſecundum actus in quos poteſt de ſe: cum eſt adiutum, & informatum gratia, excellentius mouet ſeipſum. Ita quod cum liberum arbitrium ſit mouens, & motum, gratia diſponit ipſum ſub ratione mouentis, & pro tanto dicitur gratia mouere liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratia informatum mouet ſeipſum. Per quem modum, amor dicitur mouere hominem ad magna opera facienda. Alius eſt modus intelligendi, ſecundum quem liberum ar-

bitrium dicitur à gratia moueri. Gratia enim est sicut quædam influentia procedēs a luce superna, quæ semper habet cōiunctionem cum sua origine, sicut lumen cum sole: Et quia semper suæ origini cōiungitur, ideo non tantum attribuitur ei, operatio ratione subiecti in quo est; sed etiam ratione subiecti à quo est. Vnde sicut lumen nō solum operatur cum aere, sed etiam inipsum aerem ratione continuationis cum suo fonte, sic & gratia nō solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium mouet. Vnde non est aliud dicere gratiam liberum arbitrium mouere, quam gratiam esse Spiritus sancti instrumentum ad mouendū liberum arbitrium. Vterq; horum modorum intelligendi conueniens est & rectus, nec vnus sine altero sufficit. Nam primus competit gratiæ cooperanti siue subsequenti. Secundus cōpetit gratiæ operanti siue præuenienti. Gratia enim operans liberum

arbitrium præuenit, & mouet. Quia Deus illam infundendo, voluntatem hominis ſanat, & preparat. Gratia vero cooperans ſiue ſubſequens, liberum arbitrium dicitur mouere, quia voluntas tali dono gratiæ informata mouet ſeipſam. Hanc enim potentiam habet voluntas ſcilicet, mouendi ſeipſum, quia eſt potentia, materiæ non alligata.] Simili modo alibi eandem ſententiam proſequitur dicens. [Comparatione ad effectum ad quem eſt, diuiditur gratia in præuenientem, & ſubſequentem, ſiue operantem, & cooperantem, quæ ſunt differentiæ gratiæ ſecũdum effectus quos habet in ipſam voluntatem. Dicitur enim gratia præueniens inquantum ipſam voluntatem facit bonam, & ideo præuenit, quia non eſt à libero arbitrio, ſed potius infunditur ab ipſo Deo. Cooperans vero ſiue ſubſequens dicitur, inquantum adiuuat liberum arbitrium reſpectu boni operis eliciendi. Et notandum quod ſecundum

In 2. ſentent. diſtinct. 27. dub. 1.

quod

quod nomen gratiæ diuersimode accipitur, sic etiam & iste duæ differentiæ præueniens, & subsequens. Accipitur enim gratia vno modo largissime, & sic comprehendit dona naturalia, & dona gratuita. Vtraque enim desursum est. Et hoc modo gratia habet diuidi in præuenientem, & subsequentem. Ita quod præueniens vocantur dona naturalia, subsequens vero dona gratuita. Et sic accipit Gregorius in Moralibus. Alio modo accipitur gratia minus communiter, & sic comprehendit gratiam gratis datam, & gratum facientem. Et tunc diuidere gratiam in præuenientem, & subsequentem, nihil aliud est quam diuidere gratiam in gratis datam, & gratum facientem. Et sic diuidit Bernardus, cum dicit, [quod quædam est gratia, quæ seminat cogitatum, & hanc vocat gratiam præuenientem. Quædam quæ perficit bonum, & hanc dicit gratiam subsequentem. Ait enim sic in libro de libero arbitrio. [Hæc

De gratia & lib.arb.circa med. & versus finem.

tria in nobis operatur Deus, ſcilicet, cogitare, velle, perficere. Primum ſine nobis operatur, ſecundum nobiſcum, & tertium per nos.] Accipitur etiam gratia ſtricte, & ſic comprehendit gratiam gratum facientem, & gloriam. Et tunc diuidere gratiam in præuenientem, & ſubſequentem, non eſt aliud, quam diuidere in gratiam, & gloriam. Et ſic diuidit Auguſtinus in libro de natura, & gratia, cum ait. [Gratia præuenit vt pie viuamus; ſubſequitur, vt cum illo ſemper viuamus. Nunc præuenit, vt vocemur; tunc ſubſequitur vt glorificemur.] Accipitur etiam gratia magis ſtricte, & tunc nominat ſolum gratiam gratum facientem, & tunc diuidere eam per præuenientem & ſubſequentem, hoc eſt ſecundum duplicem effectum gratiæ, qui poteſt diſtingui tripliciter, vel ita vt vnus effectus ſit contra malum. Et alter ad bonum. vel ita, vt vterque ſit ad bonum, ſed vnus ſecundum quod informat, alter

ſecundum quod mouet, vel ita quod vterque tribuatur gratiæ mouenti, ſed vnus in ingreſſu, & alter in progreſſu, & ſic tripliciter exponitur a D. Auguſtino in libro de natura, & gratia: vno modo ſic, gratia præueniens, hominis voluntatem liberat, & præparat. Subſequens vero inquantum eandem adiuuat. Secundo modo ſic, gratia præueniens, præuenit voluntatem, vt ſanemur, & ſubſequitur, vt ſanati vegetemur. Tertio modo ſic, gratia præuenit voluntatem, vt velit, & ſubſequitur, ne fruſtra velit.] Omnia hæc D. Bonauenturæ dicta non opportet multis maſticare quippeq. contra Doctrinam contrariam euidenter militant.

D. Anſbertus ſuper Apocalypſim circa illa verba [Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum.] Inquit. [Et præuenienti gratia ſaluamur, & iuſtificamur. Ipſa enim præcedit hominem, vt ei quo pergere debeat, iter oſtendat. Ipſa etiam ſubſequitur, vt ad id quod oſtendit, etiam

D. Anſbertus ſuper Apocalypſim. cap. vltimo. Obijt anno a Nato Dño 800.

impellat.] Vbi verbum impellere manifestam efficaciam importat auxilij præuenientis. Alios innumeros doctissimos viros possemus in hanc sententiam adducere, præsertim scolasticos. Verumtamen solum sedit animo sanctos referre, qui vno consensu suo in materia fidei ita fidem inconcussam perficiunt, vt ei non liceat refragari.

Opinio efficaciæ moralis explicatur, & aduersus eam fundamenta iaciuntur. Cap. XIX.

HANC præfatam doctrinam multis confutatam, & postmodum, demonstrationibus theologicis confutandam; aliqui ex Hispaniæ, & Italiæ theologis quorum ego pietatem, omniumq. virtutum ornamenta, atque in alijs multis scientiam ve-

neror, quamuis non amplexentur, patrocinantur tamen ei: & vt sanctissimi Iob verbis vtar, [protegunt vmbræ vmbram eius, & circumdant eum salices torrentis.] Quod nimirum hoc studio faciunt, nedum error, in quo & ipsi obligati sunt in alio corrigitur, ad ipsos tandem veniatur. Hi dum aliorum dicendi modum satis Ecclesiæ documentis non cohærere conspiciunt, dum illum fugiunt, in alium consimilem, vel eundem corruerunt. Et in Scillam inciderunt, vitare Charibdim cupientes. Dicunt enim, auxilium efficax negari non posse, illud autem nequaquam efficiens esse, seu phisicum, sed morale. Quod sumit efficaciam ex parte motionis obiecti, & præscientiæ Diuinæ, ita vt semper maneat voluntas etiam in sensu composito, libera, vt non imponatur ei aliqua necessitas ex parte suppositionis. Dicunt enim, quod suppositio tunc tollit libertatem, quando id quod per talem suppositionem ponitur, aliquo

Iob 40.

efficaci, & veluti phisico modo determinat voluntatem ad talem actum, nam hoc est proprie necessitatem imponere. volentes autem suam in re hac radicitus explicare sententiam aiunt. Posse actum voluntatis esse infallibilem virtute suppositionis factę sine phisica determinatione, & simul quod libera maneat voluntas supposita infinita præscientia Diuini Intellectus: Qua de omnibus creatis voluntatibus cognoscit, non solum quid possint operari, & quid de facto operaturæ sint, verum etiam quid essent facturæ in omnibus euentis, si hoc vel illo modo applicarentur, vel excitarentur ad operandum, hac enim supposita scientia, facile intelligitur posse Deum aliquam voluntatem semper regere, & excitare, vt infallibiliter consentiat, quamuis libere. Quia potest illam motionem præstare, cum qua infallibiliter præsciuit illam esse operaturam. Verumtamen non saluant omnimodam libertatem actuum dum diui-

nam ponunt præſcientiam. Siquidem poſita diuina præſcientia, neceſſario ponuntur actus neceſſitate conſequentiæ. Alias enim præſcientia Dei poſſet falli. Sed his prætermiſſis, vt meam mentem aperiam, non aliam in his quam priorum ſententiam reperio, ſolum viriditate frondium ſalicis ſterilis velatam. Hæc autem velamina Deo donante conabor dirumpere, vt omnium eorum vna eademque natiua facies appareat. Primo igitur præmittendum eſt cum D. Thoma, [quod voluntas mouetur, & ab obiecto, & ab eo qui dedit virtutem volendi. Poteſt autem voluntas moueri ſicut ab obiecto, a quocunque bono, non tamen ſufficienter, & efficaciter, niſi a Deo. Nihil enim aliquod mobile ſufficienter mouere poteſt, niſi virtus actiua mouentis excedat, vel ſaltim adæquet virtutem paſſiuam mobilis. Virtus autem paſſiua voluntatis ſe extendit ad bonum in vniuerſali. Eſt enim eius obiectum bonum vniuerſale,

D. Thom. 1. parte. q. 105. artic. 4. & q. 106. art. 2. & q. 111. art. 2. & in multis alijs locis.

ſale, ſicut & intellectus obiectum eſt ens vniuerſale. Quodlibet enim bonum creatum eſt quoddam particulare bonum, ſolus autem Deus eſt bonum vniuerſale. Vnde ipſe ſolus implet voluntatem, & ſufficienter eam mouet vt obiectum. Similiter autem, & virtus volendi a ſolo Deo cauſatur. Velle autem nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod eſt bonum vniuerſale. Inclinare autem in bonum vniuerſale eſt primi mouentis, cui proportionatur vltimus finis. Sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune eſt eius, qui præeſt multitudini, ſicut Regis aut tribuni. Vtroque igitur modo proprium eſt Dei mouere voluntatem, ſed maxime ſecundo modo, interius eam inclinando.] Patet ergo ex inſufficientia obiecti procedere, quod nullum bonum particulare ſufficienter, & efficaciter mouere valeat voluntatem. Quantumcunque igitur a Deo moueatur voluntas per ali-

quod particulare bonum, & quantumcumque illud fiat amabile, cum tamen remaneat ſub ratione particularis boni, liberum mouere efficaciter non poteſt arbitrium. Et ex conſequenti manifeſtum eſt, quod auxilium morale nullo pacto efficax eſſe poſſit, vt iſtius ſententiæ inuentores, & ſui ſectatores aſſerebant. Reſpondebunt autem forſitan, quod licet particulare bonum ex ſe ſit inſufficiens & inefficax ad mouendum obiectiue voluntatem, ita vt illius capacitatem adimpleat. Si vero conſideretur ſecundum quod eſt diſpoſita ex proprijs viribus, cui diſpoſitioni Deus illius obiecti bonitatem attemperat: cuique ſcit Deus illam efficaciter inclinandam, hoc modo iſtud auxilium morale efficax redditur. Cæterum hæc attemperatio vt præfertur, non ſatis videtur fidei conſona inſtitutis. Miſſum facio quod contrariatur expreſſe D. Auguſtino in libro de prædeſtinatione Sanctorum. Vbi ait. De prædeſt. Sanctor. c.8.

[Hæc itaque gratia quæ occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & docet vt veniatur ad filium, aufert cor
Ezechiel.11. lapideum & dat cor carneum,] sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.] Ecce iuxta D. Augustinum nihil obstat efficaciæ gratiæ praua peccatoris dispositio, nec expectat bonam, sed totum ipsa gratia facit. Est etiam expresso contra
De ingratis. cap.15. D. Prosperum in lib. de ingratis vbi ait

At vero omnipotens hominem cum gratia saluat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit: Non moribus illi
Fit mora. non causis anceps suspenditur vllis

Nec

Nec quod sola potest, cura officioq. ministri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi.

En Prosper pro nihilo ducit hominẽ esse indispositum, neque admittit aliquam causam immorandi Diuini Auxilij efficacis operationẽ, sed statim adueniente gratia, vniuersa bene peccatori succedunt. Nec facit voluntatem ministram, vt se iustificet: Verumtamen supra dicta sententia Concilio Arausicano 2. non apparet satis consentanea, vbi dicitur [siquis vt a peccato purgemur, voluntatem nostrã Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti, [præparatur voluntas a Domino.]. Et Apostolo salubriter prædicanti, [Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona vo-

Conc. Arausic.2.can.4.

Prouerb. 8.

Philipp.2.

luntate,] omnia huius canonis verba oportet accurate perpendere: ſingula namque ſententiæ aduerſariæ reluctantur. Primum ergo illud conuenit ſpeculari ſi quis vt a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit. Iſti namque theologi, qui docent Deum ſolum mouere moraliter, & ex obiecto, voluntatem autem ſolam ſe mouere in actu conuerſionis phiſice, itaq. ſuppoſita quacumque motione morali voluntas ſua natiua libertate operatur; & conuertitur, neque alia virtute actiua ſuperiori præmouetur: conſequenter confiteri coguntur, Deum humanam expectare voluntatem, vt a peccato purgetur. Niſi enim illa ſe diſponat, & incipiat operari, Deus illam non conuertet. Statim ergo cum homo incipit, Deus illi propitius adeſt eum conuertendo, & gratiam infundendo. Præſcientia namq. Diuina, qua dicunt Deum prænoſſe hominem illa motione morali conuertendum, nihil

in voluntate constituit, præter esse cognitam a Deo. Est namq. illa Diuina cognitio speculatiua, non practica. Nihil ergo in libero operatur arbitrio, sed sola subsequitur rationis relatio. Insuper Deus sua Diuina præscientia quæ futura sunt præuidet. Eo igitur modo cognoscit quę sunt futura, sicut erunt. Illorum enim esse antecedit cognitionem Dei. Ex eo namq. quod sunt in instanti æternitatis, cognoscuntur. Constat autem hominis conuersionem ab obiecto non fieri, sed a voluntate omnino libere operante, ita vt dum illi præsentatur obiectum cum omnibus suis circunstantijs, possit illud reijcere. Sola namq. Diuina essentia, vti diximus præsens voluntati trahit eam. Quia omne bonum est: & illius capacitatem sufficienter adimplet. Præscit igitur Deus rem ita se habere, quod a se solo efficaciter liberum moueatur arbitrium. Vnde fit euidens, morale auxilium nullam sortiri efficaciam, & contrarium asserentes

non videntur Concilio satisfacere. Ad alia eiusdem canonis gradum faciamus, vt amplius veritas elucescat. Si quis ergo (ait Concilium,) vt a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infussionem, & operationem in nobis fieri confitetur: resistit ipsi Spiritui sancto, &c. Si Spiritus sanctus in liberum arbitrium nostrum, vt a peccato purgari velimus: volitionem infundit, eandemq. in nobis operatur, quod significant illa verba per Spiritus sancti infussionem, & operationem fieri, vt velimus, seclusa quacunque præscientia efficax est ex se diuina operatio: vt illa supposita purgari velimus; [Voluntati enim eius quis resistet?] Euidenti namque consequentia sequitur, Deus nos agit, ergo agimur. Alias enim virtus Dei esset infirma. Agere insuper, & agi correlatiue dicuntur, correlatiua vero simul natura sunt. Posito igitur quod Deus

operetur in nobis velle cõuerti, ex ipsamet motionis Diuinæ virtute fit, vt non possim non velle. Morale autem auxilium hanc efficaciam nequaquam recipit, vt ex se solo faciat velle. Quis item asseueret obiectum voluntatis volitionem infundere, & operari, quod proprium esse constat causæ efficientis? Quod & idem Concilium exprimit dicens: [Quotiens bona agimus Deus in nobis, & nobiscum operatur.] Ecce quemadmodum ignis prius agit in aerem eum calefaciendo, deinde simul cum aere calefacit, quæ circumstant. Ita Deus per gratiam suam prius in liberum agit arbitrium, illud sanando, eleuandoque, ac roborando. Deinde vero cum illo cooperatur, adiuuando. Hoc ipsum testimonia scripturæ sacræ in Canone adducta superiori euidenter ostendunt, quid est enim illud, [præparatur voluntas a Domino]: nisi quod aliquid Deus præstat voluntati quo valeat ad ipsum conuerti, & quo possit consen-

Canon. 9.

tire mouenti? Ipſe namq. eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere. Id ipſum eadem Synodo ſic docente recepimus.
Canon. 7. [Siquis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, ſiue ſalutari; ideſt Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe, confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat ſuauitatem in conſentiendo veritati: hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis, [ſine me nihil poteſtis facere,] & illud Apoſtoli, [non quod idonei ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis,
Ioann. 15. ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] Quis non videat vltra motionem, Euangelijque prædicationem, & exortationem quantumcunque hæc bene fiant, ex parte intellectus requiri illuminationem, ex parte voluntatis inſpirationem, quibus fiat, & ſuauius fiat conſenſus? Alias enim ſacræ ſcripturæ auerſari, & Chriſto di-

centi, ſine me nihil poteſtis facere? Cuius contrarium aduerſam ſententiam tenentes videntur affirmare, dum auxilium morale dum taxat conſtituunt, & Dei præſcientiam, quibus hominis voluntas conuertitur.

Probatur eſſe impoſſibile, quod Deus in voluntate electiones eius volitionesq. cognoſcat, vt in cauſa ſed tantum in ſe ipſis. Cap. XX.

PRIVSQVAM huius rei deciſionem adoriamur, ſtatim in limine animaduertendum eſt, quod aſſerere prædeſtinationis effectus per ordinem ad finem prædeſtinati cuiuſque in particulari, certitudinem ſortiri ex ſola præſcientia Dei, non eſt Eccleſiaſticæ doctrinæ conſentaneum, quod expreſſa ratione tradit Doctor Angelicus

Diſputat. de prædeſt. q.6. art.3.

dicens. [Non poteſt dici, quod prædeſtinatio ſupra certitudinem prouidentiæ nihil aliud addit, niſi certitudinem præſcientiæ, vt ſi dicatur quod Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut quemlibet alium, ſed cum hoc de prædeſtinato ſcit, quod non deficiet a ſalute. Sic enim dicendo, non diceretur prædeſtinatus differre a non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantum ex parte præſcientiæ euentus. Et ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis, quod eſt contra auctoritatem ſcripturæ,& dicta ſanctorum.] Explicansq. qualis ſit prędeſtinationis certitudo hæc annectit. Vnde præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem, nec tamen cauſa proxima ſalutis ordinatur ad eam neceſſario, ſed contingenter, ſcilicet liberum arbitrium. Quod hoc modo poteſt conſiderari. Inuenimus enim ordinem compoſſibilem eſſe reſpe-

ctu alicuius dupliciter. Vno modo inquantum vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine Diuinæ prouidentiæ. Alio modo quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium peruenitur ad vnũ effectum, quarum vnamquamque Deus ordinat ad conſequutionem effectuum loco eius, quæ deficiet, vel ne altera deficiat. Sicut videmus quod omnia ſingularia vnius ſpeciei ſunt corruptibilia, & tamen per ſucceſſionem vnius ad alterum poteſt in eis ſecundum numerum ſaluari perpetuitas ſpeciei, Diuina prouidentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant, vno deficiente. Et hoc modo eſt in prædeſtinatione. Liberum enim arbitrium deficere poteſt a ſalute, tamen in eo quem Deus prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel ſi cadat, quod reſurgat. Sicut exortationes, & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiuſmodi, quibus Deus

adminiculatur homini ad ſalutem. Si ergo conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem, ſed contingentiam, reſpectu autem cauſæ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem.] Præſcientia igitur certitudinem prædeſtinationis, & effectuum eius non facit, ſed Deus prouidens, & prædeſtinans, & operans omnia media ad ſalutem neceſſaria. Nam [quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.
Rom. 8. Quos autem prædeſtinauit hos & vocauit, & quos vocauit hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit illos, & glorificauit.] Dicit autem gloſſa. [Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, qua certiſſime liberantur quicumque liberantur.] Non eſt ergo tuta iſta auxilij moralis efficacis ſententia, quæ certitudinem eorum quæ ad effectus prædeſtinationis attinent, in ſola

tenet præſcientia Diuina conſiſtere. Cæterum neque illud quod iſti aſſeuerant theologi non mediocris alias peritiæ, Deum, ſcilicet operationes voluntatis in ipſa liberi arbitrij potentia, vt in cauſa præñoſſe, aliquo modo eſt tollerabile. Non negamus Deum cognoſcere effectus liberos in ſuis cauſis immediatis determinatis, & completis. Deus enim notitia viſionis futura contingentia in ſuis cauſis particularibus intuetur. Quatenus ipſæ cauſæ determinationi diuinæ, & diſpoſitioni illius ſcientiæ ac voluntatis, quæ prima cauſa eſt, ſubſternuntur. Cauſæ namq. particulares futurorum contingentium quatenus diuinæ determinationi ſcientiæ, & voluntatis, ſubijciuntur, determinatæ ſunt, & completæ, & non impeditæ ad ſuorum effectuum contingentium productionem. Cognoſcit igitur Deus effectus liberos in ſuis cauſis determinatis & completis, cum vniuerſas cauſas creatas in ſua eſſentia cognoſcat,

provt eſt cauſa prima omnibus cauſis eſſe conferens, virtutem communicans, & determinationem præfigens ad operandum cui mouenti nihil valet reſiſtere. Verumtamen quod demonſtrare contendimus, illud eſt. Effectus liberos in ſuis cauſis liberis, & incompletis, ac indeterminatis, a nullo intellectu, etiam Diuino, poſſe cognoſci. Sic enim hi moralis efficaciæ inuentores, & qui cum eis conſentiunt, voluntatem eius qui ad Deum conuertitur, incompletam, & indeterminatam conſtituunt, noſſe tamen in illa diuinam præſcientiam, ipſius conuerſionem, & determinationem, quam ex ſua preciſe natura conſequitur. Quod eſſe omnino impoſſibile ſic oſtenditur. Liberum arbitrium ex ſe, & ab intrinſeco, & ex diffinitione ſua eſt indifferens, & indeterminatum, vt operetur, aut non operetur, velit, vel non velit. Eſt enim cauſa libera, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non

agere.

agere. Eſt ergo impoſſibile in tali cauſa infallibiliter effectum futurum cognoſci. Tunc enim infallibiliter effectus futurus in cauſa intelligitur, quando infallibiliter cauſa penetratur, ex cuius cognitione eui denter colligitur, quod illa in iſtum determinatum effectum ſe ſe explicabit. Quis autem etiam linceis oculis in libera, indifferenti, indeterminataq. cauſa ab intrinſeco, & ex natura ſua, aliquid determinatum intuebitur? Inſuper illud quod cognitioni ſubiacet, opportet quod ſit. Quod enim non eſt aliquo modo, non ſcitur. In cauſa autem libera, & indeterminata, effectus futurus non præeſt ſub aliqua determinatione, ſed ſolum eſt, cum actu cauſa determinatur. Ante igitur quam cauſa determinetur, futurus effectus cognoſci non poteſt. Alias namq. notiſſima contradictionis implicatio ſequeretur. Scilicet quod voluntas eſt libera, & quod non eſt libera. Prima propoſitio ab intrinſeca ratione liberi arbitrij

eſt notiſſima. Altera vero contradictoria patet, quoniam ad hunc effectum futurum, qui in ea cognoſcitur, ponitur aliquo modo determinata. Igitur non eſt libera. Rurſus ſumptis his duabus propoſitionibus Petrus conuertetur, & Petrus non conuertetur, ſupponamus Deum noſſe quod Petrus conuertetur iuxta iſtorum ſententiam, tunc probatur altera voluntas manet omnino libera, nec aliqua neceſſitate præmitur ſiue in ſenſu compoſito, ſiue in ſenſu diuiſo, & multo minus ex natura rei, ergo poteſt non conuerti. Et erunt duæ contradictoriæ veræ. Prima ex præſcientia Dei, altera ex natura libertatis. Hi autem quibus aduerſa placet ſententia, inquiunt, Deum vniuerſas creaturas comprehendere a prima potentia vſque ad vltimum actum. Vnde fit, vt omnes liberi arbitrij futuros actus comprehenſiue cognoſcat. Si tamen ea quæ dicta ſunt, attenta conſideratione penſentur, nihil hæc nobis officient. In cauſis

enim liberis locum non habent per ordinem ad ſuos effectus particulares, ſed in his, quæ ad vnum quidpiam a natura determinantur. In his (inquam) Deus vniuerſos futuros effectus intelligit, præuidet, & amplectitur. In liberis autem neutiquam. Cum nullam a natura per ordinem ad ſuos actus determinationem obtineant. Quanto ergo magis Deus liberum arbitrium comprehendit, tanto magis eius indeterminationem, & genuinam indifferentiam cognoſcit. [Non enim decipietur, vt homo.] Vt quod non eſt, eſſe diiudicet. Cum igitur in auxilio morali neque ſit efficacia ex parte obiecti mouentis, neque ex parte præſcientiæ Diuinæ actus voluntatis in eius libero arbitrio cognoſcentis, fit conſequens, vt eadem ſit priorum & poſteriorum ſententia, ſolo verborum apparatu differens. In eadem omnes tam primæ ſententiæ quam ſecundæ aſſertores hærent ſalebra. Nullam namq. in re, mo- Iob 13.

tioni Diuinæ gratiæ efficaciam tribuunt, quam esse necessario confitendam, etiam ipsi fatentur. Nos vero in his quæ ab Ecclesia didicimus, & credita sunt nobis persistentes, efficiente seu phisica motione gratiæ a Spiritu sancto nos agi; vt filij Dei simus, confitemur. [Qui namque spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.] Qui facit efficaciter, vt faciamus, & nos agit, vt agamus. Hanc ergo esse Ecclesiæ doctrinam adamusim (fauente Deo) explicare conabimur.

Rom. 8.

Deus

Deus ſolus mouet voluntatem effectiue, nec tamen per hoc libertas tollitur ſed perficitur.
Cap. XXI.

DOCTOR Angelicus in prima parte expreſſe nos docet, Deum ſolum ex parte potentię voluntatem poſſe mouere. [Operatio namq. voluntatis eſt inclinatio volentis ad volitum, quam inclinationem ſolus ille immutare poteſt, qui virtutem volendi creaturæ contulit. Sicut & naturalem inclinationem ſolum illud agens poteſt mutare, quod poteſt dare virtutem, quam conſequitur inclinatio naturalis. Mouet autem Deus hominem ad agendum, non ſolum ſicut proponens ſenſui appetibile, vel ſicut immutans corpus: ſed etiam ſicut immutans ipſam voluntatem, quia omnis motus tam voluntatis, quam na-

1.par.q.106. art.2. in corpore.

1.2.q.6.ar.9. ad tertium.

turæ, ab eo procedit, ſicut a primo mouente. Et ſicut non eſt contra rationem naturæ, quod motus naturæ ſit a Deo ſicut a primo mouente, inquantum natura eſt quoddam inſtrumentum Dei mouentis: ita non eſt contra rationem actus voluntarij, quod ſit a Deo, inquantum voluntas a Deo mouetur. Eſt tamen communiter de ratione naturalis, & voluntarij motus, quod ſit a principio intrinſeco.] His ex D. Thom. iactis fundamentis, quamuis ea res ſit quam diſſerimus, cuius [habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui attendimus quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.] In eius tamen explicatione illum ducem, ac præceptorem ſequemur. Confitemur ergo manifeſte, dum homo nefariarum cogitationum, ſcelerumq. pondere iacet oppreſſus, nullatenus ab illo infælici ſtatu reſpirare poſſe, neque ad meliorem vitam aſſurgere: nisi diuinæ gratiæ ſtimulis agitetur, & impellatur: neque in-

2. Petr. 1.

ſuper oblatæ ſibi gratiæ conſentire, niſi Spiritus ſancti peculiaribus auxilijs fulciatur. Semper enim præuia gratia præcedit, quam humana voluntas ſubſequitur. Non ſecundum partes, ſicut duo trahentes Nauem, qui inter ſe opus, laboremq. partiuntur, vt aſſeuerat ſententia prima: ſed Deus totum opus agit, homo ſimiliter totum operatur. Sed diuerſimode, Deus vt cauſa prima, homo, vt proxima. Quemadmodum ſol cum igne, generat ignem; totus effectus a ſole, totus ab igne conſiſtit: a ſole vt a cauſa vniuerſali: ab igne, vt a cauſa proxima generatur. Differt autem inter Deum, & cauſas vniuerſales maxime. Quoniam cauſæ vniuerſales determinantur ad effectus particulares generandos, ſeu producendos, per cauſas proximas. Itaque ſol non generat hic & nunc ignem, niſi cauſa proxima producente, & determinante ipſum, operaretur. Dei autem cauſalitas per ordinem ad vniuerſos effectus, nullatenus a

D. Augu. de gratia Chriſti lib. 1. c. 6. D. Bernard. de gratia & lib. arb.

causis secundis determinatur, sed omnia determinat, a quo cuncta secundum quęcumque modum essendi dependent. Et in quo vniuersa quasi in fonte suo, ac origine præexistunt. Et sine quo eadem in nihilum rediguntur. Inspice Solem in Lunam irradiantem, eamq. splendidam efficientem. Quandiu manet lucida, semper Sol munificus, semper donator, & in eam operator est. Solis faciem auerte, in tenebras tota Luna conuertitur. Non inquam quod est, sed quod lucida est, & a Solis facie dependens euacuatur. Vniuersa quæ in orbe sunt contemplare, a Diuino splendore suum esse participare reperies. [Lux enim in tenebris lucet.]
Ioann. 1. Quamdiu hæc sunt, semper Dei largitate consistunt. Semper ille donat, conseruat, atque operatur. [Ex ipso nam-
Rom. 11. que, & per ipsum & in ipso sunt omnia.] Dum ergo in nostro libero arbitrio operatur vt velit, nihil ab illo accipit; quod non prius præstiterit. Illud determinat,

omnia vincit impedimenta, vniuersa prę-figit ad operandum necessaria, accendit frigidum, durum emollit, & volens ex nolente facit. Liquet igitur eos qui docent, liberum humanæ voluntatis arbitrium Diuinum auxilium præuenire operando, & vt agat determinare, in Pelagij errorem inclinari. Dum aliquid tribuunt voluntati ex sola naturæ virtute, quo se discernit, & aliquid habet ex se, quod non accipit, contra Apostoli verba dicentis. [Quis te discernit?] Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] Confiteamur igitur cum D. Augustino, quod in omni opere bono prior est volun tas Dei, posterior liberi arbitrij. Hoc enim pacto iustitia, quæ Dei est, nostra dicitur. Quia nobis ex Deo est, qui velle dat, & perficere. Ita quidem, vt sicut diximus, vtrumque Dei sit, simul, & nostrum vtrumque, quia nisi volentibus nobis non fit: Non ergo per diuinam

1.Cor.4.

De Ecclef. dogma.c.27 & 51. de præ dest. & grat. cap.9. de gra tia & lib. arbitr. cap.15.

gratiam liberum arbitrium adimitur, sed firmissimis præsidijs roboratur. Vt quæ præclara sunt, quæ supra naturam, quæ denique diuina, sunt velle queat: & quæ his aduersantur, valeat obsistere. Quod etiam Apostolus ita se habére nos docuit dicens. [Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra, nominatur: vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.] Petit, & exortatur D. Paulus Ephesios ne occasione tribulationum deficiant a fide, & ab operibus bonis: ac ne fatigentur animis suis deficientes. Stolida autem esset Apostoli petitio, & exortatio, nisi esset illis liberum, stare firmos in fide, & in recta operatione constantes. Sed cum certo sciret eis esse necessarium Diuinum auxilium illos firmans, & corroborans, ad

Aug. de gratia Christi cap. 11.

ad Ephes. 3.

Hebr. 12.

oratio-

orationem conuertitur. Et orat Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det eis, secundum copiam magnificentiæ maiestatis suæ, virtutem qua in interiori homine roborentur. Itaque illos inducit, quoniam libere operantur, & Deum orat, quia sine illius præsidio, libertas erit infirma, & inutilis. Stant igitur simul libertas arbitrij & auxilium efficax. Timotheum etiam discipulum suum admonet dicens. [Collabora Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam.] Exortatur vtique ad collaborandum Euangelio, libere namq. id explet, licet per virtutem Dei, & gratiam operetur. [Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat.] Sicuti enim Deus cum natura contulit voluntatem liberam, absque eo quod nos eam coageremus. Velle autem & facere nos cum

1.Timoth.1.

Isaiæ 40.

illo cooperamur, ita in his quæ ſecundum gratiam fiunt, bonam voluntatem liberam facit ſolus, per charitatem quæ [diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.] Bene tamen velle, & operari, cum illo cooperamur. Sic enim illa Apoſtoli verba ſępius repetita, oportet intelligere; [Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate,] non ſolum ſua, ſed etiam noſtra hac quæ data eſt nobis, per quam Dei cooperatores efficimur. Rem hanc quamuis difficilem D. Auguſtinus exemplo facili quoquo modo demonſtrat. Dum liberum arbitrium equo comparat indomito, gratiam vero equiti, qui beſtiæ ferocitatem domat. Atque adeo equitem totum iter peregiſſe dicimus, quoniam equum condocem fecit, quem moderatus eſt, atque ſua obtinuit virtute, vt iter equus perficeret. Itineris tamen labor vtrique communis eſt. Sic vniuerſum iter iuſtitiæ, gratia ſimul, &

Philipp. 2.

Lib. 3. Hipognoſt.

libe-

liberum arbitrium perficiunt, cum tamen gratia liberi arbitrij gressus dirigat, ferocitatem domet, & ad Beatorum Patriam vsque perducat. [Cor hominis (inquit sapiens) disponit vias suas, sed Domini est dirigere gressus eius.] Hinc est quod petebat Psaltes, [perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.] Quod elegantissime Auctor libri de vocatione gentium, siue Ambrosius sit, siue Prosper Aquitanicus, (cui magis fauet stilus orationis, & vetustissimum exemplar Vaticani) aduersus Pelagianos de necessitate, & opitulatione gratiæ scribens, ait. [Quod a multis refutatur, (gratiam puta) ipsorum est nequitiæ: quod autem a multis suscipitur, & gratiæ est Diuinæ, & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, siue profectus fidelium, siue in finem vsque perseuerantium cogitemus genus: nulla species virtutis occurret, quæ vel sine dono Diuinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur.

Prouerb. 16.

Psalm. 16.

Lib. 2. de vocat. gent. c. 9

Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi, atque auxiliandi agit, vt in eo quem vocat, optimam ſibi receptricem, & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem.] Et paucis interpoſitis, ait, [cum timor Domini per quandam vim magni terroris immittitur. Non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, ſed illa potius quæ mentem premebat, caligo diſcutitur: vt voluntas deprauata prius, atque captiua, recta efficiatur, & libera. Vnde ſicut animus nihil virtutis capit, niſi radium veri acceperit luminis. Ita gratia nihil ei quem vocat, confert; niſi oculos in eo aperuerit voluntatis.] Hactenus ille. Remanet igitur in eo cuius cor gratia illuminat, & voluntatem immutat, libertas ſimul; quamuis hæc efficienti ſeu phiſico auxilio fiat in bonum mutatio.

Sacræ ſcripturæ teſtimonijs oſtenditur opera conuerſionis Deum in nobis per gratiam ſuam efficacem & phiſicam operari.

Cap. XXII.

QVI auxilij moralis efficaciam tenaci contentione defendunt, ex parteque obiecti voluntatis motionem, illuminationem, atque alia, quibus libero arbitrio bonum reddunt amabile, conſtituunt. Ex parte vero potentiæ voluntatis, auxilium ſufficiens aſſeuerant, quod potentiam iuuat, ſed velle non donat, neque operatur. Præſcientia quoque Dei, quam in hac parte magnificant, nihil agit, ſed ab altiſſimis ſedibus cuncta quæ fiunt in tempore ſiue bona, ſiue mala, ab æterno contemplatur. Quare nullatenus habet ra-

tionem auxilij. Audiant Pelagium hæc ipsa constituentem, nam quodam loco, ait, [his nos impertissimi hominum putant iniuriam diuinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem, quasi Deus gratiæ suæ imperauerit aliquid, & non illis, quibus imperauit, etiam gratiæ auxilium subministrêt: vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, facilius facere possint per gratiam.] Et tanquam explicaturus quam dicat gratiam, secutus adiungit. [Quam nos non vt tu putas in lege tantummodo, sed & in Dei esse adiutorio confitemur.] His motionem moralem adhibet dicens. [Adiuuat enim nos Deus per doctrinam, & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ Cælestis illuminat.] Sed quid D. Augustinus his

reſpondeat. Verum ſenſum fidei tenens audiamus. [Legant, & intelligant, intueantur, non lege atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna atque occulta mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.] Et poſt pauca. [Non ſolum (inquit) Deus poſſe noſtrum donauit, atque adiuuat, ſed etiam velle, & agere operatur in nobis, non quia nos non volumus, aut nos non agimus, ſed quia ſine ipſius adiutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.] Attendat igitur, ne Pelagij errori adhæreſcat, qui auxilium efficax morale aſſeuerat, & ne longe ab Auguſtini & Eccleſiæ doctrina recedat. De Pelagio namq. dicit D. Auguſtinus. [Scire quippe debemus quod nec voluntatem noſtram, neque actionem Diuino adiuuari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntatis atque operis, quam ſolam nos habere affirmat

De gratia Chriſti lib. 1. cap. 24.

Cap. 25.

Eodem lib. cap. 4. & 5.

ex Deo. Tamquam hoc ſit infirmum; quod ipſe Deus poſſuit in natura; cætera vero duo quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio.] Quantum autem iſta gratia, quam iſti ponunt & cui auctores contrariæ ſententiæ patrocinantur, a gratia quã nos ſtatuimus diſcordet, facile poſſumus conſiderare. Illa namq. gratia ſolum poſſe voluntati præſtat. Hæc liberum arbitrium efficaciter ſuo auxilio ad actum perducit. Illa noſtram voluntatem vt bonum velit tantum ex parte obiecti à Deo moueri facit. Hæc ſimul cum motione obiectiua liberum arbitriũ ex parte potentiæ auxilio efficienti ad ſuũ actum impellit. Illa dumtaxat intellectum illuminat, & a foribus voluntatem ſalutat, inuitat, & vocat. Hæc autem in liberum intrat arbitrium, excitat, influit, agit, & in ipſo operatur ſecundum beneplacitum voluntatis Dei. [Quapropter (vt inquit Auguſt. de gratia Chriſti

contra Pelagium c. 14.) [quantum attinet ad istam de diuina gratia & adiutorio quæstionem, tria ista quæ apertissime distinxit attendite, posse, velle, esse, idest, possibilitatem, voluntatem, actionem: Si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem idest vt bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult, & bene agit, si vt dixi consenserit etiam ipsam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus eamq; esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua non nostra iustitia iustos facit, vt eã vera sit nostra iustitia, quæ nobis ab illo est, nihil de adiutorio gratiæ Dei quantum arbitror, inter nos controuersiæ relinquetur.] Si igitur isti auxilij moralis inuentores nobis consenserint nõ solum per gratiam sufficientem poten-

tiam adiuuari, sed etiam per efficientem actum generari: nihil erit inter nos quæstionis vt reor. Igitur auxilium hoc efficiens seu phisicum esse a prime necessarium, vt bonum velimus, & operemur, euidentibus sacrarum litterarum testimonijs aperiam. Imprimis autem sese offert ille locus insignis in quo Deus promissit, & repromissit Patri nostro Abrahæ dicẽs, [Patrem multarum gentium constitui te.] Et inquit Apostolus. [Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio.] Quæ verba explicans D. Thomas dicit, [vt promissio Dei sit firma, non quidem per operationes hominum quæ possunt deficere, sed secundum gratiam quæ infallibilis est.] Et D. Augustinus sic loquitur. [Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promissit. Promissit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quam &si

Genesis 17.

ad Rom. 4.

D. Thom. super hunc locum.

De prædest. Sanctor. c. 10

faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, vt illi faciant, quæ præcepit. Non illi faciunt, vt ipſe faciat quæ promiſſit. Alioquin, vt Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate: & quod a Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ. Non autem ſic credidit Abraham, ſed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſſit potens eſt & facere. Non ait prædicere, non ait præſcire, nam & aliena facta poteſt prædicere, & præſcire. Sed ait, potens eſt, & facere, ac per hoc facta non aliena, ſed ſua.] Et in epiſtola 105. ad Sixtum presbyterum contra Pelagium ſic ait. [Quod enim promittit Deus, non facit niſi Deus: habet enim aliquid rationis, & veritatis vt homo promittat, & Deus faciat: Vt autem homo ſe facere dicat, quod promiſſerit Deus, ſuperbæ impietatis eſt reprobus ſenſus.] Hactenus Auguſtinus ex ſuis verbis ſatis aperte colligitur, quod Deus

vt promissionem suam adimpleat in credentibus, non expectat voluntates hominum, sed ipsemet adimplet, quod promisit. Dum per auxilium efficiens seu phisicum gratiæ suæ, firmiter facit filios Abrahæ. Neque voluntatibus eorum committit, sed in eis ipse agit quod promisit. Hanc virtutem voluntates nostras in bonum trahentem Deus per Vaticinium Ezechielis promittit dicens. [Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, atque faciatis.] Quo sermone clarius potuit explicari, Auxilij efficientis efficacia, quam dicendo, faciam vt faciatis? Si enim solum bonum proponat, & illo liberum meum alliciat arbitrium, profecto hoc non est facere, vt faciam: sed expectare beneplacitum meum, vt faciam. Si ergo fit, solus ego illud facio pro libertate mea: nam ego solus voluntatem meam ad volendum applico. Quomodo igitur illa diuina promissio adimplebitur, faciam vt faciatis,

Ezechiel. 36.

nisi ex parte Dei, & motionis eius fiat, vt faciam: & vt infallibilis sit mea operatio, & Dei promissionis impletio. Est alter insignis locus quo id ipsum manifestatur. Inquit enim Christus Dominus. [Ego sum vitis, vos palmites: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me manseritis. Quia sine me nihil potestis facere.] Quemadmodum aliud est vitis, aliud palmes, aliud est radix. Ita metaphorica ista loquutio Deum radicem ostendit, Christum vitem, Palmitem hominem. Totam virtutem fructificandi radix, & vitis communicant palmiti, itaque in Vite palmes a se fructificat, per virtutem autem a vite susceptam, & a radice donatam. Incide palmitem, non fructificabit, quia fructum ferendi virtutem a se, & per se non sortitur, sed a radice per vitem. Similiter nos sumus palmites in Deo per Christum, & in Christo manentes. Dum igitur in illo manemus, fru-

Ioann. 15.

Rom. 11.

ctum ferimus. Si autem a Christo separemur, a nobis ipsis fructum recte operationis ferre non possumus. Quia ipse ait, [sine me nihil potestis facere.] Dicant mihi qui contrariam sententiam amplexantur, quonam pacto homo non manens in Christo per gratiam, potest fructum conuersionis facere? Dicant quomodo sola obiectiua motio sit influxus virtutis radicis in palmitem? Quonam modo sine Dei & Christi gratia homo valeat viuere, vitalesq; operationes edere. Attendant verbis Apostoli dicentis [quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis oliuæ effectus es, noli gloriari aduersum ramos. Quod si gloriaris non tu radicem portas, sed radix te.] A radice tibi, quod habes, impenditur. Non tu radici aliquid confers, quia sine illa nihil potes facere. Arausicanum Concilium secundũ adducit hæc verba in eodem sensu. Est quoque aliud

Rom. 11.

Conc. Arausic. 2. can. 24.

planissimum testimonium euidenter nostram confirmans sententiam. Cum enim Dominus Iesus amicitiam suam cum discipulis suis copulatam extulisset dicens, [iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui a Patre meo nota feci vobis.] Consequenter amicitiæ suæ causam annectit, dum dicit: [Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat,] solet inter homines esse consuetudo, qui amicitiæ vinculo alligati sunt, vt eorum quilibet amicitiæ sibi causam assignet, & assumat, & amicum diligendo, se præuenisse contendat. Iuxta illud Ecclesiastici, [& ego amicitiam copulaui,] vnde, & multi sunt, qui sibi diuinæ amicitiæ causam attribuunt, dum principium bonorum operum sibi ipsis vsurpant, non autem a Deo cuncta quæ habent se accepisse confitentur, & operibus tempore inimicitiæ factis,

Ioann. 15.

Ecclesiastes 37.

amicitiam sibi Dei comparasse gloriantur. Hi ergo sibi hæc Euangelij verba fuisse dicta existiment: Non vos me elegistis, vt essem amicus vester, sed ego elegi vos, vt amicos meos facerem. Elegit inquam, & electionè æterna qua elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: & temporali, qua nos vocat, quæ est illius æternæ executiua. Audiant igitur, & attendãt, qui asserunt hominem Deum eligere, quia homo pro sua innata libertate bonum elegit, priusquam a Deo traheretur electus. Audiant igitur, & attendant vocem Christi contra ipsos resonantem, non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nec satis est dicere, Deum ab æterno præscire eos bene operaturos, quos & ipse mouet moraliter, & obiectiue. Friuola enim sunt omnia ista, quoniam, vt sæpe diximus, præscientia Diuina quam ipsi constituunt, solum speculatiua est, electio autem est practica, & actus voluntatis Diuinæ, quo Deus ponit nos, plan-

Ephes. 1.

tatq. in Ecclesia sua, socios pinguedinis oliuæ nos facit, qui eramus oleastri, vt eamus de virtute in virtutem, & fructus bonorum operum afferamus, & fructus noster maneat, & perseueret. Hoc non perficit obiectiua motio, nec diuina præscientia sola, sed cum illa interna, & effectiua tractio. Elegit enim Deus actione efficacissima voluntatis suæ, qua & vocat, & iustificat prædestinatos. Hoc ipsum Apostolus lucidissima argumentatione conuincit. Præmisit enim quod [qui gloriatur in Domino glorietur,] neque quispiam glorietur in hominibus. 1.Cor.1. Quam intentionem suam consequenter prosequitur, & ostendit dicens. [Quis enim te discernit?] Quid autem habes 1.Cor.3. quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] Cui 1.Cor.4. vtique in hominibus gloriari prohibetur, in seipso gloriari nequaquam permittitur. [In hac euidentissima Apostoli intentione inquit D. Augustinus qua contra De prædest. Sanctor. c.5.

humanam ſuperbiam loquitur. Ne quiſquam in homine, ſed in domino glorietur: dona ipſa naturalia Dei ſuſpicari, ſiue ipſam totam perfectamque naturam qualis in prima conditione donata eſt, ſiue vitiatæ naturæ qualeſcunque reliquias, nimis quantum exiſtimo abſurdùm eſt. nunquid enim per hæc dona, quæ comunia ſunt hominibus diſcernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit, quis enim te diſcernit? Et deinde addidit, quid autem habes quod non accepiſti? Poſſet quippe dicere homo inflatus aduerſus alterum, diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, vel ſi quid aliud, talibus occurrens cogitationibus bonus doctor, quid autem habes (inquit) quod non accepiſti? a quo? niſi ab illo qui te diſcernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi? ſi autem accepiſti (ait,) quid gloriaris quaſi non accéperis? Nunquid quæſo ait, aliud niſi vt qui gloriatur in Domino glorietur? Nihil autem huic

ſenſui tam contrarium eſt quam de ſuis meritis ſic quenquam gloriari, tanquam ſibi ipſi ea fecerit, non gratia Dei. Sed gratia quæ bonos diſcernit a malis, non quæ communis eſt bonis, & malis.] Et paucis interpoſitis inquit. [Ac per hoc, vbi dicitur, quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?] Quiſquis audet dicere habeo ex me ipſo fidem, non ego accepi, profecto contradicit huic apertiſſimæ veritati. Non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed quia in electis [præparatur voluntas a Domino.] Ideo ad ipſam quoque fidem quæ in voluntate eſt pertinet, [quis enim te diſcernit? [Quid habes quod non accepiſti?] Dicant ergo mihi poſt hæc D. Auguſtini verba, & Apoſtolicam ſententiam, moralis efficaciæ defenſores, dum homo ad Deum conuertitur, & credit, ſperat, diligit, pænitet, taliter quod per hos actus gratiam gratum facientem conſequitur

ſine auxilio aliquo phiſico, & efficienti trahente, quomodo ipſe non ſeipſum diſcernit? Quomodo non habet multa quæ non accepit vnde poſſit gloriari? Siquidē habet hos actus, quibus ab alio qui non conuertitur, ſeipſum diſcernit. Sed aiunt iſti, habet iſte a Deo præ alio obiectiuam motionem qua conuertitur, & licet eadem bonitate obiecti, & eadem prorſus gratia alium mouerit, qui tamen in ſuo peccato permanſit, tamen hæc eadem motio quamuis ſit in ratione gratiæ, eadem in vtroque, diuerſa eſt tamen in ratione doni: & maior in eo, qui a peccato receſſit. Quoniam mouit eum, eo tempore, quo bene erat diſpoſitus, vt illa motione ſeſe conuerteret, alium autem non item, quem non tempore conuenienti mouit. Et apponunt exemplum. Veluti ſiquis det gladium homini forti, dum ab inimicis inuaditur, & illo ab inuadentibus ſe ſe defendit. Præſtat autem alium gladium parem in omnibus alteri,

dum eo non indiget. Licet idem ſit vtrique datus gladius, excellentius tamen donum accepit, qui vitam ipſo protegit, & tuetur. Hæc eſt tota iſtorum protectio, atque defenſio. Eſt autem veluti tela aranearum, fiducia eorum, quæ facile a ſuperuenienti vento rapitur. Non enim dictum ratione firmatur, nec ex ſuis principijs argumentum deducitur. Sed duntaxat oculis inſipientium velamen opponitur, ne ea quæ euidentia ſunt, valeant conſpicere. Voluntas enim, vt ſæpius dictum eſt, obiectiue mouetur, & finaliter tantum motione morali. Eſt enim bonum, & finis obiectum illius. Solum mouet ſpecificando, non impellendo, nec aliquid in voluntate imprimendo. Finis namq. mouet dum non eſt; mouet enim ſanitas infirmum, vt potionem ſumat amaram, cum non exiſtit, ſed quia futura eſt. Eſt autem ſecundum ſpeciem ſuam quam obijcit intellectus voluntati; qua allicitur, vt velit. Ex parte igitur

proponentis, idem est donum, sicut eadem est gratia, & idem bonum obiectum in eo qui vult, & in eo qui non vult. Quod autem hic velit, sui liberi arbitrij est; cuius solius virtute sese inclinauit, vt vellet: & illo solo sese discreuit, ab alio qui non voluit. Habet ergo ille aliquid, quod non accepit. Sed vlterius progrediamur. Exemplum propositum extra chorum saltat, est inquam extra propositum. Ponunt enim hominem fortem, & strenuum, qui gladio dato se valet ab hoste tutari. Homo autem in peccato iacens mortali nequaquam potest opera conuersionis exequi. Pone hominem infirmum ac debilem, cuius manus sint manicis colligatæ, da illi gladium, quid præstabit, cum illum versare non valeat? Tolle ab illo auxilium primæ causæ auxiliantis, & brachia in defensionem mouentis. Quid ei proderit? Obijce igitur voluntati quantumvis bonum super naturale, allice voluntatem, suade, voca,

prædica, illumina, nisi adsit auxilium ex se liberum arbitrium ad actum vsque perducens, sanans, corroborans: ligatum est, infirmum est, debile est, non potest ad vocationem consurgere. Posse iuuas, nihil agis, nisi actum dones. [Deus enim est qui dat velle, & perficere ac bonam voluntatem.] [Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.] Quem locum explicant sancti de efficacia phisica. Prosper Epistola ad Ruffinum de libero arbitrio. Fulgentius lib. 1. ad Monimum. & Epistola 4. ad Galam. Bernardus de gratia & liber. arb. D. Thomas 1.p.q.83. art.1. tertium. Tertio contra Gentes cap. 89. Hieron. tom. 2. contra Pelagium ad Ctesifontem c.3. & lib.1. commentariorum ad Ephes. cap.2. Aug. de correptione & gratia c.12. Hipognosticon. lib. 3. contra Pelagianos de bono perseuerantiæ cap. 13. de gratia Christi contra Pelag. & Cælest. c. 5.10. & 25. & [omnia opera nostra operatus es

Philipp. 2.

Isaiæ 26.

Prouerb. 21.

in nobis Domine.] Atque cor Regis in manu Domini quocunque voluerit inclinabit illud,] quibus quidem auctoritatibus euidenter resistitur, (ait D. Thomas) dum dicitur, quod Deus causat, in nobis velle & perficere inquantum dat nobis potentiam volendi, non tamen sic, vt faciat nos actu velle. [Et D. Augustinus adducens illud [nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum] inquit, [non enim ait duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis, vt velit, ab illo qui nouit intus in ipsis cordibus hominum operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant: sed vt volentes ex nolentibus fiant.] Et adhibet e vestigio. [Hoc verum esse, non coniectura suspicamur humana, sed euidentissima Diuinarum scripturarum auctoritate dignoscimus.] Adducit illud libri Paralip-

3. contra gẽtes c. 89.

Contra duas Epist. Pelag. c. 19. & 20.

2. Paralip. 30

pome-

pomenon, [& quidem in Iuda facta est manus Dei; vt daret illis cor vnum, vt facerent præceptum Regis, & Principum in verbo Domini] vbi manus Domini efficacissimam Dei operationem designat; non admonitionem ab humana voluntate pendentem: Item citat illud Ezechielis. [Dabo cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, & euellam cor eorum lapideum de carne eorum; & dabo eis cor Carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iustificationes meas obseruent, & faciant eas.] Qui ait, dabo cor aliud, & dabo cor nouum, & euellam cor lapideum, &c. non de præscientia, aut de motione morali tantum, loquitur, quæ hominis voluntatem expectet: sed de efficacissima operatione quæ cordis vincat quantamcunque duritiem. Etiam refert & expendit illud quod habetur in libro Hester; [& conuertit Deus & transtulit indignationem eius in lenitatem,] & illud Hieremiæ quo miré Dominus mani-

Ezechiel. 36.

Hester 14.

festat neminem Dei gratiam merito suo præuenire, sed propter dilectionem suam qua Deus diligit; etiam auersos ad misericordiam trahi. [Dilectione (inquit)
Hier. 31. æterna dilexi te, propterea attraxi te miserans, quia ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel.] Cui sententiæ Ioannes
1. Ioann. 4. quoque Apostolus congruit dicens. [Non quasi nos dilexerimus eum, sed quoniam ipse dilexit nos] & infra. [Nos ergo diligamus, quoniam Deus prior dilexit nos] Paulus quoque Apostolus in eadem est
2. Tim. 1. sententia dicens. [Collabora Euangelio secundum virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis ante tempora secularia.] Non ergo operamur virtute quæ ex nobis est, sed virtute Dei nostram agente voluntatem. Quam non præuenimus operando, sed coagendo subsequimur, & in Ecclesiaste dicitur quod & corda, & opera iu-

storum

ſtorum in manu Dei ſunt, & tantum in ſtudijs ſuis proficiant, quantum eos ille prouexerit: [Quantumcunque (inquit) laborauerit homo vt quærat, non inueniet. Et quodcunque dilexerit ſapiens vt ſciat, non poteſt inuenire.) Quia vniuerſum hoc vidit cor meum, quia iuſti, & ſapientes, & operationes eorum in manu Dei.] Cui conſonant verba Diui Pauli qui cum aſſeueraſſet. [Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto] poſt pauca proſequens adiungit. [Diuiſiones operationum ſunt idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.] & inferius. [Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.] Multa ſupra congeſſimus, dum contra priorem ſententiam diſputaremus, quæ idem contra poſteriorem conuincunt. Nunc autem iſta ſacrarum litterarum teſtimonia ſufficiant.

Eccleſ. 8.

1.Cor. 12.

Sacrorum Conciliorum Decretis excluditur Auxilij moralis efficacia, & efficientis seu phisici stabilitur.

Cap. XXIII.

VNIVERSI ſacrorum Cõciliorum canones, qui contra priorem ſententiã inducti ſunt, ſimiliter moralis auxilij efficacis doctrinam eliminant. Cæterum vnum vel alterum ex adductis referemus, & vnum, vel alterum denuo adijciemus, vt præſentia lucis veritatis, tenebræ falſitatis fugentur. Extat igitur celebris Concilij Arauſicani diffinitio iam ſuperius citata, quæ ſic habet. Siquis, vt a peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit: Non autem, vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem, in nobis fieri

Conc. Arauſic.2. can.4.

confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti; [præparatur voluntas a Domino.] Et Apostolo salubriter prædicanti [Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.] Constat autem euidenter secundum opinionem efficaciæ moralis, Deum nostræ voluntatis expectare consensum, vt a peccato purgemur. Non enim determinationem nostram in nostro libero arbitrio præcognoscit. implicat namque contradictionem, quod in totaliter indifferenti, & indeterminato aliquid determinate futurum cernatur. Vnde si suæ natiuæ libertati soli relinquatur voluntas, non est in ea quidquam, vnde illius actus possint in ipsa prævideri. Expectat insuper Deus nostram voluntatem, vt a peccato purgemur, contrarie stando sententiæ: dum per medium obiectum, bonum proponens, illius assensionem non facit, sed ad eam inuitat, vt sua sola velit, & consentiat libertate. Qua stante motione

Prouerb. 8.

Philipp. 2.

poteſt nihilhominus voluntas libere ſuo imperio ab intellectu, & a ratione illud obiectum remouere, & aliam cogitationem inducere. Ac poſitis omnibus ad operandum requiſitis, poteſt velle, & non velle. Illud igitur obiectum, cum poſſimus illud pro libito a nobis reijcere, nullatenus per infuſionem & operationẽ Spiritus ſancti facit in nobis, vt velimus a peccato purgari. Non ſic in auxilio efficienti, & phiſico contingit. Hoc enim ita humanam voluntatem impellit, vt faciat, eam velle quod bonum eſt. Sicq. Deus liberum arbitrium, & gratiam conſerit, & attemperat, vt vtriuſque proprietate ſeruata, neque efficaciæ quidquam detrahatur, nec libertati. Idem prorſus diffinit eadem ſancta Synodus canone quinto, quem ſuperius non citauimus, ſed in præſentem locum reſeruauimus. [Siquis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei ipſumq. credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iuſtificat im-

Conc. Arauſic. 2. can. 5.

pium,

pium, & ad regenerationem baptiſmi peruenimus, non per gratiæ donum ideſt per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit: Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius probatur, Beato Paulo dicente, [Confidimus quod qui cœpit in vobis bonū opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti.] Et illud, [vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolum, vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini:] & [gratia ſalui facti eſtis per fidem non ex vobis: Dei enim donum eſt.] Ecce quam expreſſis verbis Concilij patres definiant initium fidei, & ipſius affectum, per gratiæ donum, per Spiritus ſancti inſpirationem, qua noſtrā corrigit voluntatem ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem; in nobis fieri. Quid autem eſt per inſpirationem Spiritus ſancti noſtram corrigere voluntatem, niſi eius virtute intus operante,

ad Philipp. 1.

ad Ephef. 2.

nos reddere ab infidelibus fideles, & ab impijs pios facere quod non facit sola obiecti presentatio. Ad fores enim pulsat liberi arbitrij, non intrat. Similiter etiam infra canone vigesimo idem Concilium ita definit. [Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non præstet Deus, vt faciat homo.] Quomodo præstat Deus, vt faciat homo, siquidem homo facit, vt efficaciter faciat Deus? Motio namque Dei per medium obiectum bonum, allicit, vocat, sed non præstat voluntati velle. Non efficaciter trahitur, sed ipsa sua natiua vtens libertate illud apprehendit. Si autem in præscientia Diuina persistas, qua præuidens Deus in voluntate consensum, firmat illum: aduertas opportet, quod similiter Deus præuidet hominem consensum præstiturum Diabolo ad turpia mouenti, & pulchrum obiectum proponenti, & si Deus illud præsciuit, necessario erit. Fit ergo consequens ita diabo-

Conc. Arausic. can. 20.

lum efficaciter hominem ad malum mo-
uere, sicut mouet Deus ad bonum. Hoc
autem absurdissimum est, & piorum
hominum aures offendit. Et infra idem
Concilium: Omnia quæ hactenus dicta
sunt corroborat ita diffiniens, quem etiam
canonem hucusque reseruauimus, vt il-
lum contra efficaciam moralem adduce-
remus. Dicit ergo [Prorsus donum
Dei est diligere Deum. Ipse, vt dilige-
retur dedit, qui non dilectus diligit. Di-
splicentes amati sumus, vt fieret in nobis
vnde placeremus. Diffundit enim Cha-
ritatem in cordibus nostris spiritus Patris,
& Filij, quem cum patre amamus & filio.
Ac sic secundum supra scriptas sancta-
rum scripturarum sententias, vel antiquo-
rum Patrum diffinitiones, hoc Deo pro-
pitiante, & prædicare debemus, & cre-
dere, quod per peccatum primi hominis
ita inclinatum, & attenuatum fuerit libe-
rum arbitrium, vt nullus postea, aut di-
ligere Deum sicut oportuit, aut credere

Conc. Arausic. 2. can. vltimo.

in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia Diuina præuenerit. Vnde Abel iusto, & Noe, & Abraham, & Isaach, & Iacob, omnique antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus; non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Quam gratiam etiam post aduentum Domini, omnibus qui baptizari desiderant non in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus, simul & credimus largitate conferri. Secundum illud quod iam supradictum est, & prædicat Paulus Apostolus, [vobis donatum est pro Christo, non solum, vt in eum credatis, sed etiam, vt pro illo patiamini:] Et illud. [Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri:] Et illud [gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei

Hebr. 11.

Philipp. 1.

Ibidem.

Ephes. 2.

enim donum est.] Et quod de se ipso ait Apostolus [misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem.] Non dixit quia eram, sed vt essem: Et illud [quid habes quod non accepisti?] & illud [omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.] Et illud, [nemo habet quidquam boni, nisi illi datum fuerit desuper,] & infra in eodem canone ita docemur. [Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis bonis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, vt & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita, implere possimus, vnde credendum est manifestissime, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis ad quem Ange-

1.Timoth.1.
1.Cor.4.
Iacob.1.
Ioann.3.
Luc. 23.

Act. 11. lus Domini missus est, & Zachei qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam
Luc. 19. admirabilis fides non fuit de natura, sed Diuinæ largitatis donum.] Hucusque concilium. Vbi licet multa aduerte primum est, quod diligere Deum est donum Dei; qui etiam cum in peccatis essemus displicentes illi, dilexit nos: qui, quoniam dilectio sua operatur quod vult, in nobis fecit amorem, & opera bona, quibus placeremus eum. Secundo aduertendum est quod adhibet Concilium, quod oportet credere per peccatum primi hominis liberum arbitrium ita inclinatum fuisse, & attenuatum, vt nullus homo Deum, vt oportet diligere, aut credere in Deum, aut posse operari bonum propter Dominum, nisi gratia, & Dei misericordia illum præuenerit. Vnde & adiungit, quod non per bonum naturæ fidem antiquis patribus, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Hæc autem omnia quomodo possunt cum auxilio morali solo

concordari? ipſum namque ſolum, non donat diligere, nec facit, vt homo Deo placeat. Quomodo autem opus illius gratiam adducet, niſi prius vnde placeat, acceperit? Quod niſi Deo diligente non fit. Quæ autem vltimis verbis prolata ſunt, quod credimus, & confitemur in omni bono opere nos non incipere, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuari, ſed ipſe incipit aſpirando & auxilio ſuo præueniendo, vt quæ ſibi ſunt placita implere valeamus: Quonam modo de morali auxilio poſſunt explicari, cum quo conſtat nos incipere operari, cum incipimus velle, & antequam velimus nihil operationis eſſe? Vnde conſtat gratiam Dei nos ſubſequi, non anteire in hac ſententiâ pedem figendo. Cum tamen in Concilio ſacro dicatur quod in omni opere bono nos non incipimus. In Concilio item Senonenſi quod ſupra allegatum eſt ita decernitur. [Accedentem ſiquidem ad Deum oportet primum Diuinæ gratiæ

Conc. Senonen. a principio.

munere adiutum credere, deinde bonis operibus intendere, in quibus efficiendis, & liberum arbitrium operatur, & gratia. Primo tamen, & principalius gratia. Quare qui primatum boni operis libero aſcribit arbitrio, & non gratiæ, Pelagianus cenſendus eſt.] Nota illud verbum in bonis operibus efficiendis primo & principalius gratiam operari; itaque & gratia efficit, & liberum arbitrium. Primo autem & principalius gratia. Quomodo autem efficit gratia opus bonum ſi tantum offert obiectum & finaliter mouet, non efficienter. Sed iſti ſtatim ad Diuinam præſcientiam recurrunt, vt ab his dictis ſeſe conpurgent. Quia Deus præſciuit illam motionem ex obiecto ſufficere, vt voluntas aſſentiatur. Quod iam ſæpe ſuperius excluſimus, ſi namq. Deus hoc præſcit aut præſcit in ſe, aut in hominis libero arbitrio. In ſeipſo impoſſibile eſt, vt iſta præuideat. Tollunt enim iſti Theologi præfinitiones Diuinas in ordi-

nota

ne ad actus liberos in particulari, cum igitur omnino indeterminata sit Diuina voluntas, implicat, vt in ipsa huiusmodi actus præsciantur. Et vt hæc clariora fiant, considera præscientiam Diuinam vniuersos Diuinæ voluntatis actus præuenientem, nihil omnino faciendum præcognoscere, quamuis Diuinus intellectus ipsam Dei voluntatem perfecte comprehendat. Sed quia voluntatem liberam indeterminatam ad opus considerat, nihil prorsus determinatum præscit. Hac eadem ratione, neque in humano arbitrio, hoc ipsum valet præcognosci. Est enim liberum arbitrium ex se indifferens, & indeterminatum ad velle, & non velle, non ergo in tanta indifferentia, cognosci potest, quod voliturum est, antequam seipsum ad volendum determinauerit. Perpende insuper Concilium Tridentinum quam expresse phisicam efficaciam explicat, sess. 6. cap. 16. cum sic ait. [Cum enim ille ipse Christus Iesus,

tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorumq; opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, &c. per se euidens est, auxilium morale nullam virtutem influere in voluntatem quæ sit veluti vitis ad palmitem, & capitis ad membra, quæ bona opera antecedat & operetur. Hanc virtutem per gratiam agentem phisice a Christo Domino nostro recipimus. Qui rem hanc latius videre desiderat legat vniuersos synodi Arausicanæ canones, nam fere omnes contrariam sententiam oppugnant.

Sanctorum Testimonijs Auxilij efficientis & phisici necessitas confirmatur. Cap. XXIIII.

CVM supra aduersus primam sententiam Auxilij Diuini efficaciam multis Patrum sanctorum dictis firmaremus; non pauca quæ similiter efficientem, & phisicam efficaciam probant retulimus. Atque adeo quædam eorum repetemus, quædam vero alia quæ relata non sunt, præsentiq; faciunt instituto, denuo adducemus. Ne vero sæpius repetita lectori fastidium generent, sensus fideliter ex verbis illorum extractos, non autem formalia verba quæ a proprio fonte fluxerunt, recensebimus. Licebit enim cuique ad superiora recurrere, atque concinnam sensuum verborumq. rationem conspicere. Quantum

autem in materia fidei ſanctorum Patrum valeat auctoritas, ex Concilio Epheſino licet colligere. In quo cum Neſtorius vociferaretur, Ieſu matrem ſemel & iterum in Euangelio vocari beatam Virginem: Dei vero nuſquam in ſcripturis appellari, neque eſſe voces extra ſcripturas recipiendas: reſponſum hoc a D. Cyrillo ſuſcepit. [Hanc nobis fidem Diuini tradidere diſcipuli. Et licet nullam fecerint dictionis huius mentionem, ita tamen ſentire a ſanctis Patribus docti ſumus.] Cum ergo a ſanctis Patribus auxilij efficacis motionem phiſicam didicerimus, tanquam dogma fidei accipiendam credimus. Primum igitur locum in re hac tenet D. Petrus Apoſtolorum Princeps, Chriſti Vicarius, & dux verbi, qui primus poſt Chriſtum in hac materia tulit ſententiam: dum enim Simonis Magi argumentum diſſoluit, ita Eccleſiam erudiuit. Quædam neceſſitate mouentur, quædam libertate. Solem in orbem ra-

D. Petrus Clemẽs Rõ. recog. lib. 3. cap. 19. Obijt anno a Christo nato 70.

pit neceſſitas, voluntatem autem hominis ducit libertas. Deus ergo ſic illa voluit moueri neceſſario diuina voluntate agente, iſta voluit libere operari. Hæc actibus ſuis, aut præmium promerentur, aut pœnam, illa minime. Docet igitur Apoſtolus manifeſte Deum in omni creaturarum motu principatum tenere,& vniuerſas cauſas efficientes agere earum ſeruatis naturis, & proprietatibus. Nec mouendo liberas, libertatem demere, nec neceſſarijs, neceſſitatem mutare: Hic autem non habet locum obiectiua motio cum Simon Magus in argumento ſuo de motione efficienti, & phiſica Diuinæ voluntatis erga cauſas ſecundas quæſtionem proponeret.

D.Dionyſius de diuin. nomin. cap. 4. lect. 11. in D. Thom. Interijt anno a nato Domino 90.

D. Item Dionyſius Areopagita mouet quæſtionem, quare ſcripturæ æditores vocant quandoq. Deum amorem, ſicut D. Ioannes inquit, [Deus charitas eſt,] quandoq. vero amabilem, ac diligibilem, veluti, in Canticis. [Adoleſcentulæ di-

1. Ioann. 4. Cant. 1.

lexerunt te nimis.] Resoluit autem quæstionem dicens. Deum dici amorem, quia amor, motum, & impulsum quendam importat, quo immittit amorem alijs, & in eis bona opera generat quasi emissor, & sicut progenitor. Quibus terminis causam efficientem clarissime explicuit dicens; sicut emissor, qui sagitam ad metam emittit, & dirigit: & quasi progenitor, qui filium generat. Innuit igitur, quod Deus hominis voluntatem effectiue mouet, & bona opera in ipsa pro gignit. Dicitur autem amabilis, & diligibilis; quoniam de se; & ex intrinseca natura sua Deus bonus est; & per essentiam bonus, & a seipso infinite diligibilis, & a nobis quoque amabilis quasi obiectũ dilectionis mouens obiectiue, & finaliter voluntatem, vbi explicat motionem moralem.

D. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum cap. 1. num. 4. Interijt ãno à Christo nato 240.

D. Cyprianus breui titulo quasi graui malleo oppositam sententiam contriuit, dum dixit. [In nullo gloriandum, quan-

do nostrum nihil est.] Quoniam in moralis efficaciæ opinione multum est nostrum, cum executio operationum nostrarum, nudo tribuatur arbitrio, non alicui auxilio Diuino effectiue mouenti. Vnde liberum arbitrium solum operationem bonam exequitur, quamuis obiectiua, & finalis motio se teneat ex parte Dei. Et super orationem Dominicam circa illa verba, fiat voluntas tua, inquit. Quod ibi non petitur, vt Deus faciat quod vult, nam Dei voluntati quis resistet? Sed vt nos facere possimus quod Deus vult; quoniam nobis a diabolo obsistitur, quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, ideo oramus, & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei, hoc est vt nostram faciat suæ conformem. Quod impossibile est nobis nisi eius ope fiat, & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed fortitudine ac virtute a Deo recepta, cuius Indulgentia & misericordia tutus est homo.

Super orat. Dominicam

Tunc igitur in nobis Dei voluntas efficitur, quando nostra, voluntatis diuinæ efficienti auxilio agitur, vt adimpleat quod illi placeat, & sic fiat eius voluntas in nobis.

D. Ephræm in cõfess. seu præcat. ad Deũ fac. 267 tom. 1. Obijt anno a Christo nato 360.

D. Ephræm Syrus quamuis multa in suis libris de re hac dissertissime doceat vnum tamen dumtaxat verbum in contrariæ sententiæ confutationem adducemus. Ait enim. Quemadmodum enim terra licet seminata nequit a seipsa fouere germina, sine tuæ benignitatis visitatione, ita nec cor meum eloqui poterit beneplacita tibi beneficio gratiæ tuæ, nisi per ipsam fructificauerit iustitiæ fructũ,] vbi non obscure explicat, gratiam in anima esse quasi diuinum semen, quod virtutem suam libero arbitrio communicat per auxilium suum, quo fructificat iustitiæ opera. Hic autem modus operandi solius causæ efficientis est, & phisicæ. Et in tractatu de vita religiosa atque monastica dicit. Quod quemadmodum spe-

De Vita Religiosa atque monastica tõ. 3. fac. 49.

culum

culum nisi faciem alicuius receperit, non potest illam referre, ita anima nostra nisi gratiam prius receperit, non valet opera gratia digna operari, ex assistentia namque gratiæ voluntas fortis efficitur. sine faciei quippe aspectu speculum inefficax est, & inutile, si vero adsit adiutorium gratiæ, poterit illius ope, virtutes exercere, & illarum operationes consummare.

D. Basilius Magnus dum illam Apostolicam sententiam expendit. [In his omnibus superamus per eum qui dilexit nos] sic ait. [Nequaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis.] Imperio inquit potentiæ suæ fecit nos vasa vtilia Domino, quos ipse apparuit ad omne opus bonum: ecce cum essemus in manu Dei, sicut lutum in manu figuli, fecit nos vasa honoris, & vtilia Domino, & præparauit nos ad omne opus bonum. Dicant nunc assertores auxilij efficacis moralis,

D. Basil. in lib. de Spiritu sancto c. 7 Obijt anno a Christo nato 380.

quid

quid ſit facere vaſa vtilia Domino. Dicant quid ſit præparare ad omne opus bonum. Numquid proponere obiectum, allicere voluntatem, monere, prædicare, vt ipſa ſola pro ſua libertate velit? minime. ſed facere prius voluntatem bonam, vt opus quoque bonum ſit. Nihil namq. proderit bonum valde diligibile libero arbitrio præſentare, vt bonum opus perficiat, ſi voluntas mala eſt. [Aut facite arborem bonam, (dicit Saluator,) & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: Non enim poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere: ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur.] In ſententia moralis efficaciæ, dum homo actum conuerſionis operatur, in peccato mortali iacet, quonam ergo modo poteſt gratiam illo actu iuſtificantem promereri?

Matth. 11.

D. Ioannes Chriſoſtomus non ſemel aut iterum, ſed millies repetit, nihil nos

D. Chriſoſt. hom. 12. in c.4.1.ad Cor. Obijt anno Dñi 405.

habere, quod a Deo non acceperimus, quamuis fidem, quamuis peccatorum veniam, quamuis gratias, quamuis virtutes adducas, omnia nobis a Deo prouenerunt. Num ipse per te recte operatus es? Non sane. Sed accepisti. Non enim tuum id munus est, sed largientis.] Ipsa voluntatis actio, ipsum liberi arbitrij exercitium quo se mouet ad volendum, & vult actu, ipsius Dei volentis est, quis autem dicat, quod sit obiecti? Cum obiectum, sicut alias diximus solum actum specificet, non exerceat. Exercitium namq. agentis efficienter est. Vnde in opinione auxilij moralis liberum arbitriũ solum nudum ex se operabitur, & de aliquo poterit gloriari, quod non accepit, contra Apostolica verba.

D. Augustinus ita euidenter, & perseueranter hanc gratiæ efficaciam quam astruimus, prosequitur, vt de illius sententia nequaquam hæsitari valeat. Mitto eius testimonia, quæ contra primam sen-

D. Aug. de gratia Christi lib.1.c.10. Obijt anno a Christo nato 430.

tentiam adducta ſunt, quæ ſimiliter aduerſum efficaciam moralem pugnant; alia placuit referre, vt hanc perpetuam Auguſtini fuiſſe doctrinam eluceſcat. Dicit ergo de gratia Chriſti contra Pelagium, & Cæleſtium, [nam vt ſanctæ ſcripturæ docent, & exortantur, & poteſt eſſe indocendo, & exortando etiam hominis operatio. Sed nos eam gratiam nolumus. Iſtam aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, ſed creditur, & ſperatur, nec ſolum reuelatur ſapientia, verum etiam, & amatur. Nec ſuadetur ſolum omne quod bonum eſt, verum & perſuadetur. Non enim omnium eſt fides, qui audiunt, per ſcripturas Dominum Regnum Cælorum pollicentem, aut omnibus perſuadetur, quibuſcunque ſuadetur, vt veniant ad eum, qui dicit, [Venite ad me omnes qui laboratis. [Quorum autem fides, & quibus perſuadeatur, vt veniant ad eum, ſatis ipſe demonſtrauit, vbi ait.

Aug. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 10.

Matth. 11.

[Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.] Et paulo post cum de non credentibus loqueretur, [dixi, (inquit) vobis quia nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum a patre meo,] non placet D. Augustino gratia quæ solum doceat, suadeat, & exortetur, sed quæ ex se infallibiliter persuadeat, & quæ faciat ipsum actum credendi, sperandi, & amandi, & qua non tantum Deus nos alliciat, sed potentiæ suæ virtute trahat. Non solum offerat, sed donet ipsum velle, alibi etiam explicans illud Apostoli, [bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.] Primo ista bona opera (inquit) si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogitationibus dixerit Apostolus, ait enim scribens ad Corinthios, [non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis tanquam a nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.] Deinde singula inspiceamus, bo-

Ioann. 6.

D. Aug. de gratia & lib. arb. c. 7.

2. Tim. 4.

2. Cor. 3.

Ioann.6. num inquit certamen certaui, quæro qua virtute certauerit, vtrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? sed absit, vt tantus doctor gentium ignorauerit legem Dei. Cuius vox est in Deu-
Deuth.8. theronomio. [Ne dicas in Corde tuo fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse dat tibi fortitudinem, facere virtutem,] & post pauca ait. [Deinde dixit cursum consummaui: Sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit. [Igitur non volentis, neque
Rom.9. currentis, sed miserentis est Dei.] Quæ sententia nullo modo potest etiam sic conuerti, vt dicatur, non miserentis est Dei, sed volentis, & currentis est hominis! Quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, aperte se ostendit Apostolo contradicere. Postremo dixit fidem seruaui, sed ille hoc
2. Tim.4. dixit, qui alibi ait, [Misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem.] Non enim dixit misericordiam consequutus

ſum, quia fidelis eram, ſed vt fidelis eſſem. Hinc oſtendens etiam ipſam fidem haberi niſi Deo miſerante non poſſe.] Ecce Deus dat fortitudinem ad operandum virtutem; ipſe præſtat robur voluntati: obiectum autem nullum confert, ſed vt patet ſupponit illud in potentia. Inſuper de correctione & gratia conſtituens differentiam inter gratiam datam Adæ, & nunc per Chriſtum prædeſtinatis collatam, ſic inquit: [Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam. Sed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit, ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoq; ardore diligat, vt carnis voluptatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat. Nec illa parua erat, qua demonſtrata eſt potentia liberi arbitrij, quoniam De Correct. & gratia c.11

ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium ſi vellet, deſereret. Hæc autem tanto maior eſt, vt parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem.. Parum ſit denique non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur, vt velit.] Paucisq. interiectis inquit, [nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pena peccati eſt: Quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum. Et tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, vt non ſolum adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verum etiam tantum, ac tale ſit, vt velimus. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus.] Quis autem non cernat iuxta moralis efficaciç aſſertores conſimilem

nobis gratiam donatam esse per Christum, quæ data fuit primo Adæ. Solum namq. datur, vt possumus velle, si velimus, non autem datur efficaciter velle quod possumus. Semper namque mihi manet liberum, illam, quam aiunt Diuinam motionem non admittere. Aliud eiusdem testimonium euidens contra mortalis Auxilij extat efficaciam, quo similiter stabilitur efficacia efficiens, seu phisica, in libro de Spiritu, & littera, vbi sic ait. [His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, nec enim credere potest quolibet arbitrio si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat. Profecto, & ipsum velle credere Deus operatur in hominibus, & in omnibus misericordia Dei præuenit nos. Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est. Quæ res non solum non infirmat quod dictum est, [quid habes, quod non accepisti?] Verum etiam confirmat. Accipere quippe,

De Spiritu, & littera ca. 34. & 35.

& ha-

& habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc quod habeat, & quid accipiat, Dei eſt. Accipere autem, & habere, vtique accipientis, & habentis eſt.] Et poſt pauca ſuperaddit. [Ipſum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc eſt ad Dei dona pertinere non ambigens: nec tantùm, vt ſit, verum, vt bonum ſit, ideſt ad facienda mandata Domini conuertatur. Atque ita Dei gratia non ſolum oſtendat quid faciendum ſit, ſed adiuuet etiam, vt fieri poſſit quod oſtenderit.] Ecce manifeſte loquitur Auguſtinus dum dicit, quod ad credendum neceſſum eſt, vt proponatur obiectum bonum ſuadendo, aut vocando, cui credamus. Cæterum, & ipſum velle credere Deus operatur in nobis, nos miſericorditer præueniendo. Conſentire autem, & velle noſtrum eſt, hoc etiam noſtrum non ſolum noſtrum eſt, ſed a Deo præuentum, quoniam ipſum quoque liberum arbitrium

bonum, vt consentiat, & faciat bona, inter Dei dona connumeratur.

Item alio in loco dicit. [Cum autem homines per correptionem in viam iustitiæ seu veniunt, seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris atque arbustulis operante, dat incrementum Deus? Cui volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.] Nulla ergo praua dispositio impedit efficientiam Diuinæ gratiæ.

Aug. de Corrept. & gratia cap. 14.

Efficacia phisica Diuinæ Gratiæ aliorum Patrum testimonijs confirmatur. Cap. XXV.

DIVVS Ambrosius super Lucam inquit: [Respexit Dominus Petrum, postquam negauit. Hoc intus actum est, in mente actum est, Misericordia Dominus latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiori gratia visitauit Petrum, interioris hominis vsque ad exteriores lacrimas mouit, & produxit affectum. Sic Deus efficaci auxilio adest voluntatibus nostris. Sic velle, & perficere pro sua bona voluntate operatur in nobis.] Item alio loco eandem asseuerat sententiam hisce verbis. [Deus in cordibus trahendorum hoc agit, vt credant, hoc efficit, vt velint, non enim esset vnde traherentur, si sequaces

D. Ambros. super Lucam lib. 10. c. 39. Obijt anno a Christo nato 380.

Lib. 2. de vocat. gent. c. 9.

fide, & voluntate non essent. Efficaciter ergo mouentem, & trahentem intellectus & voluntas sequuntur.] Et paucis interpositis hæc annectit. [Quod illos Deus voluit velle voluerunt. Qui ipsum velle sic donat, vt illam mutabilitatem qua potest nolle non auferat.]

D. Gregorius Nazianzenus sic ait, nobis dari actionem bonam, vt simul voluntas ad ea quæ recta sunt Dei beneficio donetur, & a Dei benignitate dimanet. quoniam non volentis solum, nec solum currentis, sed miserentis est Dei: atque cum velle quoque ipsum a Deo sit, optimo iure totum Deo assignat. Ex quibus verbis liquido constat ipsam voluntatem, & velle, & operationem a Dei gratia in nobis & nobiscum operantis efficaciter, & effectiue procedere. Quomodo namq. actio & voluntas, Dei dona sunt, nisi vtramque ipse perfecerit?

D. Gregor. Nazianzen. orat. 31. Obijt anno a Christo nato 390.

Rom. 9.

Quamuis D. Hieronymi plurima possemus adducere, illud tantum referemus

D. Hieron. in epist. ad Ephes. cap. 2.

Obijt anno a Christo nato 422.

quod in Epistolam ad Ephesios dicit. [Addidit itaque & dixit, fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris. Non quod liberum homini tollatur arbitrium, & secundum illud Apostoli ad Romanos [neque sit currentis neque volentis, sed miserentis Dei,] verum quod arbitrij ipsa libertas Deum habeat auctorem, & ad illius beneficium cuncta referantur.] Patet ergo & liberum arbitrium bonum, Dei munus esse, non autem solum volitionem, & cursum. Itaque omnia referantur in Deum, & præparatio voluntatis, & actio.

D. Cyrill. de adoratione in Spiritu fac. 15. Obijt anno a Christo nato 432.

D. Cyrillus de adoratione in Spiritu docet non solum nos verbis, & admonitionibus incitari vt a peccatis recedamus, sed Deum nobiscum ea vti benignitate, vt efficaci nos ducat auxilio iuxta illud, [tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.] Quia enim infirma est hominis natura nec

Psalm. 73.

ſatis habens virium, opem illi fert Deus vt valeat a peccatis emergere. Quibus verbis videre licet, quod non ſolum admonitionibus in animum immiſſis, quod eſt mouere moraliter, ſed efficienti auxilio a Deo iuuamur. Hoc eſt enim Deum tenere manum dexteram meam, & in voluntate ſua me deducere.

Diuus Proſper Aquitanicus Leonis Primi Notarius contra collatorem ſic ait, [Doces ergo non poſſe quidem hominem per ſe met ipſum apprehendere ſanitatem, ſed habere eum a ſe met ipſo deſiderium ſanitatis, & ea tantum ſponte venire ad medicum, non etiam hoc ipſum medici eſſe quod veniat. Quaſi vero anima ipſa non langueat, & corpori ſuo ſana proſpiciat. Atqui totus homo ex ipſa, & cum ipſa in profundum miſeriæ ſuæ decidit. Vbi eam prius quam a medico notitiam calamitatis ſuæ accipiat,

D. Proſper Aquitanicus contra collat. cap. 8. Obijt anno a Christo nato 460.

facere delectat, amantem semper errores suos, & amplectentem falsa pro veris. Cuius salus prima est, vt sibi incipiat displicere, & vetustatem suæ debilitatis odijsse. Consequens vero est, vt & sanari desideret, & a quo sananda sit, nouerit. Quæ curationem eius sic præcedunt, vt ei ab illo, qui ægram sanaturus est, inserantur.] Quæ Prosper, præteritæ vitæ, pænitere, suam infirmitatem detestari, sanitatem appetere, nosse medicum, a Deo nobis inseri profitetur. Opportet sane Deum aliquid in voluntate agere vt valeat obiectum bonum desiderare, neque obijcere tantum sufficiet. Sed clarius de libero arbitrio in Epistola ad Ruffinum sic ait.] Si gratia meritis redditur, & non ipsa est bonorum creatrix, frustra gratia nominatur.] Quo Verbo potuit aptius actionem efficientem phisicam gratiæ explicare quam asserendo bona opera ab ipsa gratia procreari? Sed est aliud eius testimonium cui nullus valeat

Epist. ad Ruffin. de liber. arb.

aliqua ratione etiam apparenti tergiuersari, paulo inferius. [Quis (inquit) ambigat. Tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendiq. generauerit, alioquin sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso nouam fieri voluntatem, sicut scriptum est, [præparatur voluntas à Domino,] & sicut ait Apostolus. [Deus est enim qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate.] Pro qua bona voluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus? Vt quod donauerat velle, donaret & facere.] Nihil ergo monere proderit, nisi robur libero præstetur arbitrio, quo bona fiat ad assentiendum voluntas. Et in eadem Epistola. [An dicendum est (ait,) voluntati Dei humanas obsistere voluntates? Et tam feros tamque intractabiles mores, vt Euangelio ideo non obaudiant, quia prædicationi impia corda non pateant? Et quis istis corda mutabit, nisi

Prouerb.8.

Philipp.2.

qui finxit sigillatim corda eorum? Quis huius rigoris duriciem ad obediendi molliuit affectum, nisi qui potens est, de lapidibus, Abrahæ filios excitare?] Dicant nunc mihi isti moralis efficaciæ assertores an rebellium hominum corda vertere, durissima mollire, ex lapidibus, Abrahæ filios formare, bona tantum obijciendo fiat, & non magis efficienti virtute ad bonum pellendo consummetur. Consulantur, quæ superius adducta sunt aduersus priorum sententiam. Sed quæ carminibus idem Prosper circa eandem materiam nobis reliquit, minime silentio prætereunda censui. Quoniam expresse nostram sententiam de gratia efficienti contra moralem constituit dicens.

Epigram. 45

Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis viribus implet opus. (amatq.
Hinc secura fides sperat, quod credit,

Auctorem, qui quod ſpondet, id efficiet.
Nam ſi quæ Dominus promittit, non operatur,
Sed ſolum humanum præuidet arbitrium,
Non hæc dona eius, ſed ſunt prædicta vocanda
Ceu quiſquam ex proprio ſit bonus abſque Deo.
Quod quia non recipit pietas, veroq. repugnat,
Gratia nos reparet, gratia iuſtificet.
Quæ ſic in cunctis implet ſua dona vocatis,
Vt quorum dux eſt, fiat & ipſa comes.

Et in libro de ingratis ſic eandem ſententiam proſequitur. De ingratis c. 14.

At ſi dimota certandi nube, ſerenis
Quæ ſunt vera oculis mecum intueare modeſte (bis
Et vetera exẽplis manifeſtis plena vide-

Secula, & in noſtro cognoſces tempore multa,
Quæ doceant virtute Dei conuerſa malorum
Corda, quibus recti nihil inquam inſederat, & quæ
Nullum iuſtitiæ ſignum, ſenſumve gerebant.
Namq. vt nunc ſæuas gentes, & barbara regna,
Ignoti prius, aut ſpreti noua gratia Chriſti
Attrahit, & terra templum ſibi condit in omni:
Sic prius immites populos, vrbesq. rebelles,
Vincēte obſtantes animos pietate ſubegit.
Non hæc conſilio tantum, hortatuq. benigno,
Suadens atque docens quaſi normam legis haberet
Gratia, ſed mutans intus mentem,

atque reformans,
Vasq. nouum e fracto fingens virtute creandi.
Non istud monitus legis, non verba prophetæ,
Non præstata sibi, præstat natura, sed vnus
Quod fecit, reficit. Percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet
Quaque viam verbo reseratam inuenerit, intret.
Vt tamen his studijs auditor promoueatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit, inque graues adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei radicem adfigere menti,
Eque sinu cordis validum iubet edere germen,

Hæc maturandam segetem seruatque, fouetque,
Ne lolium, & tribuli, & vanæ dominentur auenæ.
Ne ventus frangat, torrens trahat, æstus adurat,
Neu cum se nimium læta, & præ fortis in altum
Extulerit, turpi procũbat strata ruina.

Quibus verbis manifestè D. Prosper explicat quemadmodum Deus conuertat hominem, gratiam creet, nulla supposita dispositione subiecti, quæ ab ipsius natura sumatur. Quemadmodum nullo præsupposito ab initio cuncta creauit. Sic non expectat voluntatis operationem aut liberi arbitrij consensum aliquem, qui virtute ipsius mentem præparet. Vnde quocunque consilium excludit, hortatumq. benignum, quasi hæc vt homo conuertatur ex se sufficiant. Sed super hæc aprime necessaria est virtus creandi,

qua Diuinus figulus vas nouum in honorem fingat. Hoc ipsum indicat inferius sic dicens semipelagiano ingrato. Cap. 15.

Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas?
Hæc sincera fides? hæc Christi gratia tecum est?
Cuius opus fixo distinctum limite totum,
Extra hominem statuis clausæ penitus fore mentis
Vixq; Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris, animus diiudicet intus:
Seque ferat, quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrij: veluti cum voce loquentis,
Aut rerum actarum species, quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula

Nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira, dolorque:
Nec tamen hos motus scriptor, narrator, & auctor
In seuere animo (quamuis fortè hoc quoque vellent.)
Sed de perceptis mens iudex sponte mouetur,
Et pro more suó, quantum se exercuit istis,
Transit in affectum, quem confirmauerit ex se,
Illa volendo sequens, istis nolendó resistens.
At vero omnipotens hominem cum gratia saluat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit. Non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur vllis.
Nec quod sola potest, cura officioq; mi(nistri

Exequitur, famulisve vicem committit agendi

Qui quamuis multa admoneant mandata vocantis,

Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos

Suscitat, & soluit peccati compede vinctos

Ille obscuratis dat cordibus intellectũ:

Ille ex iniustis iustos facit, indit amorẽ

Quo redametur amans, & amor quem confert, ipse est.

Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,

Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,

Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,

Nemo alij dat, nemo sibi non littera legis,

Nec naturalis sapiẽtia, quæ semel acta In præceps, labi nouit, consurgere nescit.

His carminibus D. Prosper manifeste duos modos constituit quibus liberum moueatur arbitrium. Ipsum namq; mouet obiectum, & finis; quam motionem non efficientem sed moralem appellamus. Sic allicitur monitis, atque præceptis; retoris suasione, mimi actione, pænarum terrore, spe premiorum, quæ animam per se non intrant, sed a foris eam inuitant, voluntatis consensum expectant, non perficiunt: sed ipsa libere transit in affectum, quem ex se sola firmauerit. Ita Pelagiani Dei auxilio morali hominem iustificari docuere. Quid autem erudiat Ecclesiastica disciplina, e vestigio connectit idem Prosper Aquitanicus dicens, Deum per gratiam nos saluos facere, quæ totum salutis opus consummat. Cui opportunitatem agendi neque confert, neque aufert liberi arbitrij dispositio. Non remoratur eam scelerata voluntas, sed omnipotens auxilium Dei ex se & vt a Deo progreditur, versat

ſtratum eius in infirmitate eius. Ita vt non poſſit eius impedire voluntatem, aut vincere poteſtatem. Deus ergo ſic ex iniuſtis iuſtos facit, vt primo animæ auertat impedimenta, tollat repagula, fores aperiat, non ſolum pulſet auxilio ſufficienti, de quo ait, [ego ſto ad oſtium & pulſo.] Verum etiam auxilio efficienti phiſico intret in fortitudine ſua; [qui aperit, & nemo claudit;] ſic Lidiæ purpurariæ cor aperuit, vt attenderet his, quæ dicebantur a Paulo. Sic duorum Apoſtolorum aperuit pectora, vt ad vnum verbum dicentis; [venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum,] relictis omnibus, & retibus, & patre poſteum irent. Et cordis publuani ita parauit viã, vt ad vnam vocem ſequere me, virtutem ſentiens vocantis, ſubito ſurgens atelonió ſequeretur eum. Vtique quod petebat foris, intus agebat: vt aperienti cooperarentur & ipſi coaperientes. Vt verum ſit quod ſponſus ait, [ſi quis aperuerit mihi,

Apocalip. 3.

Iſaiæ 22. & Apocal. 3.

Actor. 16.

Matth. 4.

Matth. 9.

intrabo ad eum, & cenabo cum eo.] Numquid monita, præceptaq. subito superbi Sauli cor, in humilis Pauli obedientiam mutauerunt, & non magis virtus e Cœlo loquentis, mentem illius impulit, & transtulit, vt obediret? Non suasionibus erat tunc locus, sed effectrici gratiæ cui tempus agendi semper adest, quæ gesta velit: nec moribus illi fit mora, nec causis anceps suspenditur vllis.

Apocalyp. 3.

Actor. 9.

Cælestinus Papa Primus in Epistola ad quosdam Gallorum Episcopos pro Prospero, & Hilario inquit, [ita Deum in cordibus hominum operari atque in ipso libero arbitrio, vt sancta cogitatio, Pium Consilium, omnisq. motus bonæ voluntatis ex Deo sit. [Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.] In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus est. Superbum est enim, vt quidquam humana natura sibi præsumat.] Quod etiam Apostoli testimonijs

Cælestinus Papa 1. in epist. pro Prospero & Hilario quæ habetur in libro Prosperi fac. 321. Obijt anno Dñi 426.

confir-

confirmat. Multum autem ſibi arrogat, qui operationum bonarum initia quantum ad actum efficientis cauſæ ſibi aſcribit, quod moralis efficaciæ aſſertores aſſeuerant. Tamen dicit Cæleſtinus ſuperbum eſſe, quidquam humanam naturam præſumere.

D. Leo primus aperte nos docet omnia bona opera nobis a Deo donari. Ab eo enim ad illa præparamur, iuſtificamur, oramus per gratiam, quæ eſt cuiuſque principium iuſtitiæ, bonorum fons, atque origo meritorum, quam nullatenus humana naturalis induſtria præcedit.

D. Leo primus epiſt. 86 Obijt anno a Chriſto nato 461.

D. Fulgentius licet multa de hac doceat materia, pauca tamen hic referemus, alia namq. habentur contra primum dicendi modũ. In tractatu igitur de Incarnatione & gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Sic inquit. [Fruſtra ergo garriunt, qui dicunt, meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adiuuare. Cum etiam ipſum credere, quod eſt con-

D. Fulgẽtius in libro de Incarnatione & gratia D. N. Ieſu Chriſti c. 17. Obijt anno a Chriſto nato 500.

ſenſum prebere veritati, nobis a Deo dari teſtetur Apoſtolus dicens, [vobis enim datum eſt a Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, verum etiam, pro illo patiamini.] Infra quoque id ipſum edocet dicens, [ſiquis dicit meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adiuuare, mutet dictorum ordinem, immo non mutet, ſed ſeruet. Nec quod poſterius eſt, in priori loco, neque quod eſt prius, in loco poſteriori conſtituat. Male enim gratiam Dei ſuæ voluntati poſtponit, cum iſta bona eſſe non poſſit, ſi illa defuerit. Non enim dicat meum eſſe velle credere, Dei autem gratiæ eſſe adiuuare. ſed dicat, Dei eſt adiuuare, vt ſit meum velle credere. Tunc enim vere, recteq. ait, eius hoc velle, cum ea gratia præueniens ceperit adiuuare.] His conformia inferius adiungit. [Si vero (inquit) ſecundum opinionem illorum, noſtrum eſt velle credere, priuſquam nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniuſte gratia dicitur,

Cap. 18.

quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim sicut illi volunt, gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit, immo si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accepimus. Verumtamen [quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Rom.11. Nemo vtique, quia [non potest homo accipere quidquam, nisi ei fuerit datum de cælo.] Ioann.3. [Quid enim habet, quod non accepetit? Si autem accepit, quid gloriatur, quasi non acceperit?] Non autem misericordia Dei aliquando præuenit hominem, si nunquam bonam facit, sed expectat vt inueniat voluntatem. 1.Cor.4. Et vbi est quod Dauid dicit, [Deus meus misericordia eius præueniat me?] Psalm.19. In quo autem Dei misericordia præueniet, vel præueniens quales inueniet, non in quolibet alio, sed in se ipso nobis gentium, Magister ostendit dicens. [Qui fui prius blasphemus.] 1.Timoth.1. Aduertat hic le-

ctor in operibus bonis in duobus Dei nos misericordiam præuenire, alterum est ipsa habitualis gratia, quæ ipsam animam Diuinam facit, eam eleuans supra naturam. Alterum est, quod bonam voluntatem facit eam mouendo. Hæc autem duo contra doctrinam Fulgentij in opere conuersionis tollunt qui moralis efficaciæ defendunt sententiam. Aiunt enim prius hominem motum illectum que ex parte obiecti bene operari, etiam dum in peccato mortali consistit. Quam operationem immediate sequitur gratia iustificãs. Et ideo in Sanctis patribus citatis & citandis, sæpe dicitur, quod ista sententia, constituit meritum ex natura, quoniam illam operationem, quam constituunt extra gratiam per solas vires naturæ, infallibiliter sequitur gratia gratum faciens. Quare dicit Fulgentius quod retribuitur, non gratis datur prima gratia. Quod asserere manifeste principijs fidei repugnat. Inferius etiam hoc ipsum ita declarat dicens.

D. Aug. de Prædest. sanctorum c. 2. D. Prosper contra Collat. c. 6. & epist. ad Ruffin. de liber. arbitr.

[Sed

[Sed sicut in natiuitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio, sic in spirituali natiuitate, qua veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, deponere incipimus, vt nouum, qui in iustitia, & sanctitate veritatis creatus est, induamur. Nemo potest habere bonam voluntatem motu proprio: nisi mens ipsa idest interior homo noster reformetur ex Deo. Ideo nobis Beatus Paulus præcipit [non conformari huic seculo, sed reformari in nouitate sensus nostri.] Et infra pulchra similitudine hoc idem ostendit dicens. [Non Spiritum sanctum quia credimus, sed vt crederemus accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscamus. Nam Christus filius Dei secundum Carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est: carnem autem illam nec concipere Virgo posset aliquando, nec parere: nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus

Cap. 19.

Rom. 12.

Cap. 20.

operaretur exordium. Sic etiam in hominis corde, nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus effundat, & nutriat. Ex eo namq. Spiritu renati sumus; ex quo natus est Christus. Eodem igitur Spiritu Christus formatur secundum fidem in Corde vniuscuiusque credentis; quo spiritu secundum carnem formatus est in vtero Virginis. Ideo Propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum. [Propter timorem tuum

Isaiæ 26. Domine concepimus in vtero; & parturiuimus spiritum salutis tuæ; Iustitiam non fecimus super terram.] Sicut autem non solum priusquam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, gratia plena Angeli voce nuncupata est; cum nulla eius præcederet concipiendi filij Dei vel cognitio, vel voluntas; vt agnosceretur ex gratia Dei esse, tam ipsa obediens voluntas Virginis; quam conceptio Domini Saluatoris. Sic homo priusquam cre-

deré velle inciperet, gratia donantis infunditur cordi, vt incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in vnoquoque formatur, ipse se format. Quia ipse fidem in corde vniuscuiusque credentis initiat. Propterea in Epistola quæ ad Hebræos scripta est, admonemur, vt [aspiciamus in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.] Ne tamen D. Fulgentius libertatem videatur adimere voluntatis, sic eam saluat dicens. [Qua gratia humanum non aufertur, sed sanatur: non adimitur, sed corrigitur: non remouetur, sed illuminatur: non euacuatur, sed adiuuatur, atque seruatur arbitrium. Vt in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem: quo errabat, eodem in viam redeat: in quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen: & vbi fuit iniquus seruiens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præuentus, atque adiutus, seruiat iustitiæ in sanctificationem.]

ad Hebr. 12.
eod. cap. 20.

D. Athanas. in Epist. ad Ephes. cap. 2. Obijt anno Dñi 370.

D. Athanasius in Epistolam Pauli ad Ephesios explicans illud. [Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in ipsis ambulemus.] Docet expresse voluntatem nostram a Deo immutari & omnia opera nostra esse a Deo præparata, & prædefinita in particulari. Non enim immutatur sola obiecti appositione efficaciter, nec præparatur voluntas per solum obiectum. Sed aliquid præterea influit in eam Spiritus sanctus, quo bona fiat, & valeat quæ Deo placent operari. quæ se facturum in nobis æterno beneplacito suo præfiniuit: & in tempore nobis adimpleuit.

D. Greg. in lib. 18. Moralium c. 22. Obijt anno Dñi 605.

D. Gregorij multa in hac materia præclare dicta consulto missa faciemus, sat enim erit suam sententiam breui sermone colligere, quæ sic habet loquens de Apostolo Paulo, [hinc de semetipso.] Iterum loquitur dicens. [Gratia Dei sum id quod sum.] Ex cuius nimirum aspiratione

gratiæ, quia virtutum opera protinus in corde generantur, vt ex libero quoque arbitrio ſubſequatur actio, cui poſt hanc vitam retributio æterna reſpondeat; illico adiecit: [Et gratia eius in me vacua non fuit.] Et poſt pauca, [hominis (inquit) quippe meritum, ſuprema gratia, non vt veniat, inueniet, ſed poſtquam venerit, facit. Atque ad indignam mentem veniens Deus, dignam ſibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum quod remuneret: qui hoc ſolum inuenerat, quod puniret. Ecce quam expreſſis verbis nos docet Gregorius gratiam, bonam actionem voluntatis generare, & quod per illam Deus bona facit opera, quæ remuneret. Itaque ante omnia mentem rectificat per gratiam, vt ex bona cauſa bonus ſequatur effectus, quod non poteſt facere obiectiua motio.

D. Anſelmus efficaciam Auxilij Diuini phiſicam ſubtiliſſima demonſtratione concludit. Quam vnico verbo compre- D. Anſelmus de Concordia gratiæ & lib. arbitrij. Obijt anno a Chriſto nato 1110.

hendam quia superius contra superiorem sententiam latius refertur. [Voluntas (inquit) non potest recte velle nisi recta sit. hanc autem rectitudinem quam in operationem refundit, a se habere non valet, nisi eam a Deo per gratiam fuerit adepta. Illam namque a se habere non potest, nisi eam volendo, velle autem rectitudinem nemo potest nisi eam iam habeat. Constat etiam nullam creaturam posse eam præstare. Sicut namque creatura nequit saluare, ita neque illa largiri potest, quibus homo salutem assequitur. Nullus ergo hanc rectitudinem habet nisi a Deo per gratiam, quæ semper adiuuat liberum arbitrium, dum præstat voluntati rectitudinem, quam seruet, & secundum quam operetur.] insuper in Epistolam ad Ephesios scribens circa illa verba, [Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, ne quis glorietur.] Sic ait. [Et tamen hoc non

Super Epist. ad Ephes. 2.

est ex nobis; sed ex vocante Deo, quia ex auditu Euangelij accepistis fidem, Dei enim donum est ipsa fides, vel vocatio vestra; Et non partim, sed pure donum Dei, quia non ex operibus vestris, idest non est ibi admistio operum, vt nequis glorietur, vnde patet secundum sententiam Anselmi, non incipere operari hominem opus bonum ex natura suæ viribus; esset enim ibi permistio dum principium esset solius hominis, consummatio vero vtriusque, scilicet Dei, & hominis. Cæterum quia dicit in præcedentibus ex auditu Euangelij fidem accipi, quod fauere videtur his, qui nobiscum non consentiunt, audiant ipsum Anselmum, hoc post pauca explicantem, vbi ait. [Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.] Quod autem dicit fidem esse ex auditu, intelligendum est, quia fides est ex hoc, quod concipit mens per auditum.

Nec ita, vt sola conceptio mentis faciat fidem in homine, sed quia fides esse nequit sine conceptione. Addita namque rectitudine volendi conceptioni per gratiam fit fides, quia credit, quod audit. Auditus autem est per verbum Christi, hoc est per verbum prædicantium Christum. Prædicantes vero non sunt, nisi mittantur. Sed quod mittuntur, gratia est. Quapropter & prædicatio gratiæ est, quia gratia est quod descendit ex gratia, & auditus est gratia; & intellectus ex auditu gratia, & rectitudo volendi gratia est. Verum missio, prædicatio, auditus, intellectus, nihil sunt, nisi voluntas velit, quod mens intelligit. Quod voluntas facere nequit, nisi accepta rectitudine. Recte namque vult, cum vult quod debet. Ita quod mens ex auditu verbi concipit, est prædicantis, & rectitudo est incrementum; quod Deus dat, sine quo
1.Cor.3. [neque qui planctat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus,]

patet

patet igitur ex dictis Anſelmi quicquid fit ex parte obiecti nihil eſſe niſi voluntas ipſa aliquid à Deo per gratiam recipiat, quo efficaciter impellatur, quod profecto ad efficaciam phiſicam pertinere negari non poteſt.

D. Bernardus ita docet. [Denique & Paulus de ſe ſuiq. ſimilibus audacter pronunciat: [Coadiutores enim Dei ſumus] ibi itaque Deus homini benigne merita conſtituit, vbi per ipſum & cum ipſo boni quidpiam operari dignanter inſtituit. In quo adiutores Dei, & cooperatores Spiritus ſancti, promeritores Regni nos eſſe præſumimus. Qui per conſenſum vtique voluntarium diuinæ voluntati cõiungimur. Conſenſus autem non eſt ab homine; cum neque cogitare quod minús eſt quam conſentire valeamus. Dicente namq. Apoſtolo comperimus, quia omne quod bonum eſſe poteſt, ideſt cogitare, velle, & perficere pro bona voluntate, tribuitur Deo, non ſuo arbitrio.

D. Bernard. de gratia & lib.arb. Obijt anno a Chriſto nato 1153.
2. Cor. 3.

Hæc autem tria Deus operatur in nobis; primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem inmittendo bonam cogitationem nos præuenit, inmutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum coniungit: ministrando consensui facultatem foris per apertum opus nostrum intimus opifex innotescit. Sane ipsi nos præuenire nequaquam possumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem saluat, quem non præuenit. Ab eo ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium; nec per nos vtique, neque nobiscum. Verum consensus & opus, & si non ex nobis non iam tamen sine nobis. Cauendum ergo cum hæc inuisibiliter intra nos, ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est; aut Dei necessitati quæ nulla est; sed soli gratiæ qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum. Roborat,

vt perducat ad actum, seruat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæteris comitetur: Adhoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur. Vt mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim; per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum ex illa; sed sicut totum in illo, sic totum ex illa.] Et infra adducens illud Apostoli, [quid habes quod non accepisti ?] Inquit: crearis, sanaris, saluaris; quid horum tibi ex te o homo? Quid horum non impossibile libero arbitrio? Neque creare, qui non eras, nec iustificare, peccator, nec mortuus poteras teipsum resuscitare.] Multa possemus ex D. Bernardi scriptis Rom. 9.

ſimilia depromere. Sed his paucis ita difficultatem contra Auxilium efficax morale eneruat, & enodat, vt nullus contraria ſentientibus ſuperſit cauillus. Quid enim lucidius dici poterat, quam liberum arbitrium per ſe nihil poſſe, cum infirmum exiſtat, ſed ipſum per gratiam ſanari, & cum ipſa cooperari? Non per partes, ſed totum opus illud perficit, totum autem ab illa ſuſcipit, vt velis, nolis, confiteri tenearis, gratiam, & liberum arbitrium cauſas eſſe ſubordinatas, hoc ſecunda, illa prior, hoc inſtrumentum eſt Dei, qui ipſum mouet, vt cauſa efficiens prima.

D. Thom. 1. p.q. 105. art. 4. & q. 106. art. 5. & q. 111. art. 2. Obijt anno a Dño 1274.

Doctor Angelicus quamuis a pluribus, qui contrariam doctrinam tuentur, pro ſua ipſorum ſententia ducatur, non tamen intelligo quonam modo illius poſſint teſtimonijs ſatisfacere, quæ luce clariora pro noſtra ſententia extant plurima. Multa contra priores retulimus, vt auxilij efficaciam abſolute probaremus. Cæ-

terum

terum efficientem seu phisicam euidenter quoque confirmant. Illis tamen testimonijs adijciemus aliqua quibus euidenter demonstretur quid ipse senserit in re hac quam disserimus. Quærit ergo [vtrum Deus possit mouere voluntatem creatam? & soluit quæstionem hoc modo. Voluntas mouetur ab obiecto quod est bonum, & ab eo qui causat virtutem volendi. Potest autem voluntas moueri sicut ab obiecto a quocunque bono, non tamen sufficienter, & efficaciter, nisi a Deo. Non enim sufficienter aliquid potest mouere aliquod mobile, nisi virtus actiua mouentis excedat, vel saltim adæquet virtutem passiuam mobilis. Virtus autem passiua voluntatis se extendit ad bonum in vniuersali. Est enim eius obiectum bonum in vniuersali, sicut & intellectus obiectum est ens vniuersale. Quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum, solus autem Deus est bonum vniuersale. Vnde ipse

solus implet voluntatem, & sufficienter eam mouet, vt obiectum. Similiter autem & virtus volendi a solo Deo causatur. Velle autem nihil aliud est quam inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod est bonum vniuersale. Inclinare autem in bonum vniuersale est primi mouentis, cui proportionatur vltimus finis. Sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune est eius qui præest multitudini. Vnde vtroque modo proprium est Dei mouere voluntatem, sed maxime secundo modo, interius eam inclinando,]

Ad 2. & 3. & inter soluendum secundum & tertium argumentum, docet opera voluntatis fieri a Deo, & a libero hominis arbitrio. Stant enim simul duo ista, & moueri voluntatem ex se idest a principio intrinseco; & a Deo, vt a principio extrinseco, quoniam illud principium intrinsecum est ab ipso Deo. Atque ideo opera bona meritoria sunt, quamuis sint a Deo donata, & acta. Semper namq. in illis vo-

luntas mouetur ex se, & a principio intrinseco] in quodlibetis quoque inquit. [Respondeo dicendum quod in hac quęstione cauendus est error Pelagij, qui posuit quod per liberum arbitrium homo poterat adimplere legem & vitam æternam mereri, nec indigebat auxilio Diuino, nisi quantum adhoc quod sciret quid facere deberet secundum illud psalmi, [doce me facere voluntatem tuam.] Sed quia hoc nimis parum videbatur, vt solam scientiam haberemus a Deo, charitatem autem qua præcepta legis implentur, haberemus a nobis; ideo postmodum Pelagiani posuerunt quod initium boni operis est homini ex seipso dum consentit fidei per liberum arbitrium: sed consummatio est homini a Deo, præparatio autem ad initium boni operis pertinet. Vnde ad errorem Pelagianum pertinet dicere quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio Diuinæ Gratiæ. Et est contra Apostolum qui dicit,

Quodlibeto 1. art. 7. in corpore.

Philipp. 1. cit, [qui cæpit in nobis opus bonum ipse perficiet. Dicendum est ergo, quod homo indiget auxilio gratiæ non solum ad merendum, sed etiam ad hoc, vt se ad gratiam præparet, aliter tamen, & aliter. Nam meretur homo per actum virtutis, cum non solum bonum agit, sed bene, ad quod requiritur habitus, vt dicitur in secundo Ethicorum, & ideo ad merendum requiritur habitualis gratia. Sed adhoc vt homo præparet se ad habitum consequendum non indiget alio habitu, quia sic esset procedere in infinitum. Indiget autem diuino auxilio, non solum quantum ad exteriora mouentia, provt scilicet ex diuina prouidentia procurantur homini occasiones salutis, puta prædicationes, exempla, & interdum ægritudinis, & flagella: sed etiam quantum ad interiorem motum; provt Deus interius mouet cor hominis ad bonum. Secundum

Prouerb. 19. illud [cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, vertet illud] benepatet

ex his quod expresse doceat Diuus Thomas vltra motionem ex obiecto, requiri auxilium intus mouens voluntatem, quod illam inclinet, & vertat. Et in secundo Sententiarum inquit. [Quod Deus non tantum iuuat nos ad bene agendum per habitum gratiæ, sed etiam interius operando in ipsa voluntate, sicut in qualibet re operatur. Etiam exterius occasiones, & auxilia præbendo ad bene agendum, & sine his omnibus nullus bene facere potest: oportet enim, quod sicut motus diformes regulantur a motu vniformi, ita voluntates nostræ quæ in bonum, & in malum flecti possunt, dirigantur ab ipsa voluntate, quæ nonnisi recta esse potest.] Ex quo patet secundum D. Thomam non solam motionem obiectiuam sufficere, sed necessariam esse motionem Diuinæ voluntatis efficientem, vt homo conuertatur. Et in tertio contra gentes inquit. [Rursus attendenda est inter hæc alia differentia, scilicet inter Deum, Angelos,

dist. 28. q. 1. art. 1. ad 3.

in 3. contra gentes c. 92.

&

& Corpora Cælestia mouentia voluntatem. Nam operatio Angeli, & Corporis Cælestis, est solum sicut disponens ad electiones; operatio autem Dei est sicut perficiens. Cum autem dispositio quæ est ex corporis qualitate, vel intellectus persuasione, necessitatem ad eligendum non inducat, non semper homo eligit id, quod Angelus custodiens intendit, neque illud ad quod Corpus Cæleste inclinat: semper tamen hoc homo eligit, quod Deus operatur in eius voluntate. Vnde custodia Angelorum interdum cassatur, secundum illud Hieremiæ quinquagesimo primo. [Curauimus Babilonem, & non est sanata.] Et multo magis inclinatio Cælestium Corporum. [Diuina vero prouidentia semper est firma.]

Hier. 51.

D. Thomas iterum ait in secundo sententiarum. [Quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in vnoquoque secundum eius conditionem. Vnde

Distinct. 25. q. 1. art. 1. ad tertium.

in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante, liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur, vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti.] Ex quo patet, quod licet liberum arbitrium se determinet, non tamen vt agens primum, vnde manifestum est quod ab agenti primo prædeterminetur. Et inferius ait, [quod Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio secundum eius exigentiã. Vnde etiam si voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, vt illud in quod mutatur, voluntarie velit. Et ita coactionis ratio tollitur.] Art. 2. ad 3.

Vltimo probat hoc duplici ratione dicens. [Diuinum auxilium sic intelligi-

3.cont.gent. c.148. ratione 2. & 3. tur ad bene agendum, homini adhiberi, quod in nobis noſtra opera operatur ſicut cauſa prima operatur operationes cauſarum ſecundarum: & agens principale operatur actionem inſtrumenti. Vnde dicitur. Iſai. 26. [Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine,] cauſa autem prima cauſat operationem ſecundæ cauſæ ſecundum modum ipſius, ergo & Deus cauſat in nobis noſtra opera ſecundum modum noſtrum, qui eſt vt voluntarie, & non coacte agamus. Non ergo diuino aliquis cogitur ad agendum auxilio.] Altera ratio eſt. [Homo per voluntatem ordinatur ad finem, obiectum enim voluntatis eſt bonum, & finis. Auxilium autem Diuinum nobis ad hoc præcipue impenditur, vt conſequamur finem, eius ergo auxilium, non excludit a nobis actum voluntatis, ſed ipſum præcipue in nobis facit. Vnde & Apoſtolus dicit. ad Philipp. 2. [Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.] Coactio autem

exclu-

excludit in nobis actum voluntatis. Coacte enim agimus, cuius contrarium volumus. Non ergo Deus suo auxilio nos cogit ad recte agendum.

D. Bonauentura inquit, [Quod sicut lumen non solum operatur cum aere, sed etiam in ipsum aerem, ratione continuationis cum suo fonte: sic etiam gratia non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium. Vnde non est aliud dicere, gratiam liberum arbitrium mouere, quam gratiam esse Spiritus sancti instrumentum ad mouendum liberum arbitrium. Constat autem instrumentum ad causam efficientem phisicam attinere, vnde iuxta sententiam Bonauenturæ non se tenet diuinum auxilium solum ex parte obiecti.

D. Bonauentura in 2. sententiar. dist. 26. art. 1. q. 6. Obijt anno a Christo nato 1283.

Auxilij Diuini efficacia phisica Theologicis demonstrationibus ostenditur.

Cap. XXVI.

SVPEREST iam, vt sententia quam Diuinarum scripturarũ Testimonijs, sacrorum Cõciliorum diffinitionibus, sanctorumq. Patrum placitis. Ostendimus, etiam rationibus demonstratiuis patefiat. Sit igitur prima ratio. Auxilium de quo est sermo secundum se, & ex modo motionis Diuinæ, & vt a Deo procedit est efficax. Non (inquam) efficaciam ab humana voluntate mendicat, sed ipsa diuina motio eam libero arbitrio communicat, quod non est difficile ex illis Domini verbis colligere. [Omnis qui audiuit a Patre, & didicit,

venit ad me.] Et ibidem. [Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.] Et [nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum,] quid est (inquit Augustinus) omnis qui audiuit a Patre, & didicit venit ad me, nisi, nullus est qui audiat, & discat a Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit a Patre, & didicit, venit. Profecto omnis qui non venit non audiuit a Patre, nec didicit. Nam si audiuisset, & didicisset veniret. Neque enim vllus audiuit, ac didicit, & non venit. Sed omnis, vt ait veritas qui audiuit a Patre, & didicit, venit. Valde remota est a sensibus Carnis hæc schola, in qua Pater auditur, & docet, vt veniatur ad filium.] Et post pauca [hæc (ait) itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur ideo quippe tribuitur. Vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur, & docet, vt veniatur ad filium,

Ioann. 6.

Lib. primo de prædesti. Sanctor. c. 8.

lium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. Sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.] similiter in Concilio Maguntino. De charitate, & bonis operibus sic instituitur. [Iustificatorum bona opera gratiæ Dei sunt effectus, & mouente, & adiuuante Spiritu sancto fiunt. Non enim secundum magnas vires æstimanda sunt, sed secundum dignitatem quam de Spiritu sancto omnis boni operis motore, & operatore accipiunt. Sic enim æstimandæ sunt vires humanæ, vt non simul gratia Dei vilis reputetur. Sic in omni opere bono faciendo deprimenda est facultas hominis, vt interim cogitemus Spiritus sancti motum, & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum, & pretiosum esse.] Et D. Thomas sic ait. [Sic consideremus charitatẽ ex parte Spiritus sancti mouentis animam ad diligendum Deum, sic charitas im-

Ioann. 6.

Lib. de præd. Sanct.

Concil. Magunt. c. 8.

2.2.q.24.artic.11.

peccabilitatem habet ex virtute Spiritus sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Vnde impossibile est hæc duo simul esse vera, quod Spiritus sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando. Ij autem qui auxilium efficax morale comminiscuntur, istam efficaciam non constituunt. Non enim virtutem sortitur, vt a motione Diuina oritur. Motio namq. moralis non est efficax ex se, expectat namq. voluntatis consensum, vt efficaciam habere dicatur. Nec prædeterminat voluntatem, nec præmouet. Sed ipsa suis viribus se determinat, & mouet effectiue. Quam efficientiam nullo modo secundum hanc positionem sumit a gratia, sed ab euentu contingenti. Itaque hanc motionem moralem qualicumque causalitate polleat, semper effectus sequitur contingenter. Et hæc duo stant simul quod Deus me mouet efficacia morali ad cre-

dendum, & ego non credo, sed resisto; Supposita namque tota causalitate per se huius causæ possum non consentire, & non credere ac resistere. Non igitur est hæc motio efficax, nisi quia contingenter successit effectus. Sicuti concionatoris prædicatio est efficax quia illo suadente & prædicante conuertor: Cum tamen
Ioan.15. veritas dicat. [Sine me nihil potestis facere.] Et Apostolus. [Quid habes quod non accepisti?]. Ista igitur sententia nullatenus sane doctrinæ consentit. Cæterum qui eam sequuntur satis efficere arbitrantur respondentes, quod Deus presto adest incipienti bene operari, vt gratia sui auxilij opituletur ei. Veruntamen nos de initio quærimus, quod hanc gratiæ opitulationem præuenit, neque solius naturæ viribus esse posse certum est. Rursus. Illud gratiæ auxilium quod ponunt, aut agit ad actum tantum, non autem in potentiam: aut præmouet ipsam potentiam ad operandum. Si primum asseue-

rent, fit conſequens quod gratia, & liberum arbitrium ſint cauſæ partiales actus, ſicut duo trahentes nauem. Et ex conſequenti a principio operationis vſque in finẽ proprijs ſolum viribus medietatem operatur. Quod nullus ſtante fide concedet. ſi vero fateantur illud auxilium in proſequutione operis liberum arbitrium præadiuuare, nonne ridiculum eſt, voluntatem incipientem derelinquere, quam in progreſſu actionis iuuet. Cum longe maior ſit in principio difficultas, cum ſe de potentia in actum reducit, quam dum iam redacta in actum operationem proſequitur? Conſulant iſti Concilium Arauſicanum ſecundũ ita diffiniens. [Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur. Sed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis bonis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat, vt & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & Conc. Arauſic.2.can.25.

post baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.] Porro si ad illam quæstionem accedamus quam Apostolus Corinthijs scribens proponit? [Quis te discernit? si electus es, quis te separat a reprobis? si iustus. quis te discernit ab impijs? Vtique in moralis auxilij efficacia persistentes huic quæstioni respondere coguntur, nos met ipsos nos discernere. Quamuis enim gratia Dei bonum quod agendum est libero obijciat arbitrio, ipsum autem solis viribus suis innixum edit suæ operationem salutis. Et quod infirmum est Dei, & insufficiens, voluntas roborat. Ac pro eo quod bene cępit, gratiam promeretur, & gloriam. Nunquam enim gratiam acciperet nisi ex se inciperet. Hanc autem solutionem excludit Apostolus dum ait, [quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] Isti actum conuersionis suæ a se met ipsis habere gloriantur. Qui

1.Cor.4.

non diuino auxilio, sed suo libero arbitrio operandi efficacem virtutem impendunt. Constat enim consulentem, aut suadentem, vere causam, & proprie non esse. Quoniam causa est ad quam aliud sequitur, scilicet effectus. Ad actionem autem consulentis seu suadentis effectus non certo sequitur. Suasio namque non cogit inuitum, vt ait D. Augustinus in libro 83. quæstionum. Vnde suasio, & ea quæ se tenent ex parte obiecti, vel præsentantis obiectum, vere, & proprie, causæ non sunt. Est autem liberum arbitrium suarum causa vere, & proprie, operationum. Quoniam posita determinatione illius statim effectus subsequitur. Iuxta hanc igitur opinionem voluntas sola, & ex se est suæ conuersionis, & iustitiæ causa. Hoc autem plurimum ab eo quod fides docet, deuiare videtur. Iam enim vt inquit Paulus, multum haberemus ex nobis, quod non a Dei dono ac largitate suscepimus. Aduersatur etiam

Rom. 11. ei quod dicit. [Si autem gratia iam non ex operibus.] [Alioquin gratia iam non Rom. 4. eſt gratia,] de qua ſcriptum eſt. [Ei autem qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impiũ, Abacuch. 2. reputatur fides, ad iuſtitiam. [Iuſtus enim ex fide viuit.] Matth. 9. Cum ergo [male habentibus ſit opus medicus, & non bene valentibus, non enim venit Chriſtus vocare iuſtos, ſed peccatores.] Vbi iuſtos ſanos, peccatores autem appellat infirmos. Nullus peccatis ſubiacens, & Pſalm. 32. ægrotus de ſuis viribus præſumat; [quia in abundantia virtutis ſuæ non ſaluabitur.] Nam ſi inde præſumet, [videat D. Auguſtin. Epiſt. 89. (inquit D. Auguſtinus) ne vires iſtæ non ſint, quales ſolent eſſe ſanorum, ſed quales ſolent eſſe freneticorum.] Qui cum ſint inſani, adeo ſe ſanos putant, vt nec medicum quærant, & tanquam importunum inſuper cedant. Sicut iſti inſana

ſuperbia Chriſtum quodammodo cedũt, cuius gratiæ tam benignum adiutorium ad faciendam iuſtitiam, dato legis præcepto neceſſarium non eſſe contendunt. Deſinant ergo inſanire, & ad hoc ſe intelligant ſe habere quantum poſſunt liberum arbitrium; non vt ſuperba voluntate reſpuant adiutorium, ſed vt pia voluntate inuocent Dominum. Hæc enim voluntas libera, tanto erit liberior, quanto ſanior, tanto autem ſanior quanto diuinæ miſericordiæ gratiæq. ſubiectior.] Ecce ſine hoc diuino medico non eſt ſanitas, nec ſanæ voluntatis actio. Oportet namque quod & medicus, & natura concurrant. Motus voluntatis a Deo, & a voluntate procedat. Qui ipſius ſanæ bonæque voluntatis eſt cauſa: ipſumq. liberum arbitrium in quodcunque ei placuerit valet impellere.

Ad hæc Deus a malo in bonum humana corda commutat cor aufert adamantinum, carneum molleq. ſubſtituit. Iux-

Hier. 32. ta illud Hieremiæ. [Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me in vniuersis diebus, & bene sit.] Et Ezechiel ait: [Dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantq. ea.] Si autem auxilium sufficiens seu morale asseuerantes tantum audiamus, non Deum a nobis cor auferre lapideum, & præstare carneum inueniemus: sed nos pro liberi arbitrij facultate hæc ipsa facere intelligemus. Si enim duobus hominibus inequaliter dispositis per naturæ vires, equaliter tamen morali motione per obiectum bonum illectis, alter conuertatur, alter vero amplius induretur, quænam causa conuersionis vnius est, & obdurationis alterius? Nonne quia ille se determinauit in bonũ ex mera sua voluntate, atque naturæ virtute, alio in suo peccato perseuerante? Igitur non

Ezechiel. 11.

motio moralis hanc, sed suæ sola facultas voluntatis conuertit. Sed respondent isti, Deus præsciuit illum præstiturum consensum illi auxilio; alium negaturum, atque ideo illa motione cor istius hominis emolliuit, vt conuerteretur, alterius autem indurauit. Huic fribolæ solutioni, iam supra probatum reliquimus, nullatenus posse sustineri, quod Deus volitiones hominum in ipso libero intueatur arbitrio; posito quod ab ipso non moueatur efficiente & phisico auxilio. Sed dato ita foret, adhuc esset falsa istorum positio. Nam sicut lux solis omnibus communis est volentibus videre, atque nolentibus, ego tamen qui oculos aperire volui, video. Et mihi tribuitur ista visio. Quamuis sine lumine videre nequeam, & Deus me visurum præcognoscat. Alius non videt quoniam oculos occlusit lumini. Ita in proposito, obiecto lumine auxilij moralis aperui oculos cordis mei omnino libere, illud innouaui, & emolliui. Ille pro sua

libertate rebellis fuit lumini, nec aperuit oculos ſuos, mihi tribuenda eſt hæc innouatio, & emollitio, quemadmodum, & illi illa durities. Si autem præſcientia eſſet cauſa meæ conuerſionis, eadem eſſet cauſa peccati illius, qui non conſentit, & induratur. Eadem enim motio quæ me in bonum præmouet, alteri cedit in malum. Et ſicut Deus ſcit me conuertendum, præſcit alium indurandum. Expedit ergo confiteri Deum oculos cordis mei aperire, & pectoris mei rebellionem efficaciſſima potentia remouere, & cor nouum, & ſpiritum nouum in me efficienti, & phiſico auxilio generare. Dominus enim ſoluit compeditos, cæcos illuminat, eliſſos erigit, & quos diligendo præuenit, iuſtos facit.

Rurſus qui in re minime diſputanda nos diſputare compellunt, & nodum in ſcyrpo quærunt, meminerint verborum
Matth. 7. Chriſti, [petite & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vo-

bis,] & iterum, [orate ne intretis in tentationem.] Meminerint inquam quoniam qui hæc dixit sine orationibus poterat sua nobis beneficia largiri: voluit autem nos nostris orationibus admoneri, a quo beneficia hæc accipiamus. A quo enim nisi ab illo accipimus, a quo iussum est, vt petamus? Quando Hester Regina ingressa est ad Assuerum non vocata, orauit, & dixit. [Domine Rex Deorum tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri.] Nunquid rem impossibilem postulauit? non vtique. Sed quam Deus statim perfecit, & adimpleuit. Subditur enim post pauca. [Conuertit Deus & transtulit indignationẽ eius in lenitatem.] Non hęc longo monitionũ interuallo facta sunt. Subito náq. cũ esset, vt taurus in indignatione sua, efficacissima Dei potentia in placidũ, & lenem mutatus est. Hęc mutatio dexteræ excelsi. Sic quotidie hominũ corda ab impijs in pia, conuertit,

Matth. 26.

Hester 14. & 15.

& a peccato transfert in gratiam. Quod & orat Propheta dicens: [Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur:] Quibus verbis Dei nos gratia præueniri confitemur. Quo autem modo efficaci gratia auxilij præuenientis impellamur, manifeste Tridentina Synodus nos docuit dicens. [Declarat sancta Synodus præterea ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Vt qui per peccata a Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur. Ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abijcere potest. Nec tamen sine gratia Dei mouere se ad iusti-

Irenorum V.

Conc. Trid. sess. 6. cap. 5.

tiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vnde in ſacris litteris cum dicitur, [conuertimini ad me & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus, [conuerte nos Domine ad te, & conuertemur,] Dei nos gratia præueniri confitemur.] Gratiæ igitur auxilium efficax quod inſpirat, & adiuuat, aliquid in voluntatem influit, quo diſponatur & iuuetur. Quod obiectum nullatenus tribuit, nec de ipſo morali auxilio valet niſi abſurde nimis explicari Concilium. Zachar. 1.

Sed vt ſuam phantaſiam moralis auxilij efficacis aſſertores tandem deſerant, audiant illum veritatis Magiſtrum nos orare docentem atque dicentem, vt cum orauerimus ſic oremus. [Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.] Cui teſtimonio duos ſenſus ſanctus aſſignat Cyprianus: alterum vt per cœlum Angeli, per terram homines deſignentur. Petimus ergo, vt ſicut voluntas Dei fit in An- Matth. 6. Super orat. Dominic.

gelis, ſic in Terra, hoc eſt in hominibus efficiatur. Dei autem voluntatem exequi non valemus ſine ipſa voluntate Dei, hoc eſt ſine eius auxilio, & protectione, nemo enim ſuis viribus fortis eſt. Oramus igitur, vt Deus nobis vires ſuppeditet, vt eius mandatis obſequi poſſimus, & tentationibus inimici reſiſtere. De his viribus ſe iactabat Apoſtolus cum aiebat. Philipp.4. [Omnia poſſum in eo qui me confortat.] Quæ omnia niſi de efficacia phiſica, nequeunt explicari. Secundus ſenſus Cypriani eſt, vt per cælum fideles, per terram infideles intelligamus. Vt quomodo in cælo, ideſt in nobis per fidem noſtram voluntas Dei facta eſt, vt eſſemus e cælo, ſicut & Chriſtus homo cæleſtis eſt, cui conformamur: Ita & in terra, hoc eſt in illis non credentibus, fiat voluntas Dei, vt qui adhuc ſunt prima natiuitate terreni, incipiant eſſe Cœleſtes. Vbi initium fi-

dei Deo illud operanti conceditur. Vtrumque sensum Diuus Augustinus amplectitur, & magnificat. Dicat ergo mihi nunc, siquis audet verum Deus dare non possit, quod a se posci imperauit? Certe qui hoc sapit, desipit. Imperauit enim, vt dicamus. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Sic ergo dicentibus nobis & orantibus Deus voluntatem suam facit in nobis. Id ipsum orationibus communibus petit, & orat Ecclesia. Sed ne in immensum procedamus tres duntaxat adducemus quibus innumeras id ipsum continentes liceret adijcere. Dominica quarta post Pentecostem in oratione secreta Missæ dicitur. [Orationibus nostris quæsumus Domine placare susceptis, & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.] Vbi illo verbo compelle non violentia signatur, sed efficacissimum auxilium Diuinum intelligitur, quo rebelles

De bono perseuerantiæ cap. 4.

Dominica 4. post Pentecostem.

homi-

homines ad ſe conuertit, & ex nolentibus volentes facit. Iterum in alia oratione quæ communiter circumfertur, & inter nos in precioſa dicitur, ſic petitur. [Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra operatio a te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur.] Ecce Deus noſtra bona opera præuenit aſpirando, proſequitur adiuuando & quæ per ipſum cæpta ſunt, ipſe conſummat. Quæ verba cauſam efficientem ſignificant. Extat denique oratio Benedicti Papæ ſeptimi in Concilio Saleguntadienſi in qua expreſſe auxilium efficiens reale petitur. Quæ hunc habet modum. [Adeſto nobis quæſumus Domine ſancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, ſed in ore tuo ſpecialiter aggregatis. Veni ad nos, & dignare illabi cordibus noſtris. Doce nos quid agamus; quo gradiamur oſtende; quid efficiamus operare. Eſto ſalus; & ſuggeſtor, & effector

iudiciorũ nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & eius filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustæ, qui summæ veritatis diligis æquitatem. Vt in sinistrum nos non ignorantia trahat. Non fauor inflectat. Non acceptio muneris, vel personæ corrumpat. Sed iunge nos tibi efficaciter, solius tuæ gratiæ dono; vt simus in te vnum, & in nullo deuiemus a vero; quatenus in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt & a te in nullo dissentiat sententia nostra; & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.] Ecce ipse Spiritus sanctus docet nos quid agamus, perficit, quid faciamus, est suggestor & effector iudiciorum nostrorum. Sibi nos efficaciter sola gratia coniungit, quæ omnia nisi ipse in nobis faceret quorsum inaniter Ecclesia peteret? Hæc autem constat auxilij efficacis phisici esse munera.

Præterea dum homo opus suę conuer-

ſionis exercet, & gratiæ Dei vocantis aſſentitur, iſta operatio, & conſenſus, eſt ſimul cum gratia iuſtificante, ſeu gratum faciente: hanc operationem gratia ſequitur quaſi naturali conſequio. Si igitur actio iſta, & conſenſus virtute liberi arbitrij ſolius æditur, iam ſine gratia iuſtificante poteſt homo ex vi ſuę natiuę voluntatis aliquid operari, cui debeatur gratia gratū faciens. Cum enim ad eam ſe diſponat viribus ſuis, eandem aſſequitur iuxta oppoſitam ſententiam. Gratia namq; omnibus offertur, ſiue bonis, ſiue malis, quare autem hic decipiat, ille reſpuat, & abijciat, ſola poteſt eſſe ratio, quia hic diſſenſit vocanti, & mouenti. Ille autem ſua innata voluntate, conſenſum præſtitit. Cæterum aſſerere quod poſſit homo viribus naturæ aliquod opus perficere, cui ſtatim infallibiliter donetur gratia, Pelagianum eſt, vt teſtatur Diuus Auguſtinus de gratia Chriſti cap. 23. & de prædeſtinatione ſanctor. c. 2. D. Proſper

contra Collatorem c. 6. & epistola ad Ruffinum de libero arbitrio. D. Fulgentius de incarnat. & gratia Domini Iesu Christi cap. 17. D. Bernardus hoc ipsum vt hæreticum reijcit de gratia & libero arbitrio. Si enim habetur ex operibus iam non est gratia, vt inquit Apostolus. Maxime quoniam qui consensum nostræ voluntatis in bonum ex vi naturæ gratiam præuenire concedunt, consequenter fateantur necesse est hominem viribus naturæ credere, sperare, diligere, ac pœnitere, vt oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. Consentire namque Deo excitanti, atque vocanti non est aliud quã hæc ipsa opera operari. Non enim videmus gratiam, dum a Deo nobis offertur, & assentientes acceptamus eam, ac si esset pecunia, aut aliquid aliud vsibus accommodatum humanis. Alias enim certi essemus nos esse in gratia, cum nostri consensus & acceptationis haberemus certitudinem, & eam ad nos venientem cer-

neremus. Cuius oppositum dicitur in sacra scriptura, [si venerit ad me, non videbo eum, si abierit non intelligam.] Est igitur assentiri sic, operari vt virtute nostri actus gratia nobis præstetur. Qui autem hoc dicit manifeste Concilij Tridentini diffinitioni contradicit ita decernentis. [Siquis dixerit sine præuenienti Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. Anathema sit.] Isti autem, qui phisico axilio contradicunt, & morali efficaciæ adhæreścunt, non solum antiquæ, sanæq. Ecclesiæ Doctrinæ non consentire videntur, sed Philosophorum Principem, ac philosophiæ principia, simul & demonstrationes naturales aspernantur.

Iob 9.

Conc. Trid. sess. 6. can. 3.

Est enim celebre naturæ principium, cuius meminit Aristot. quod omne quod mouetur ab alio mouetur vsque dum ad primum mouens immobile perueniatur,

Arist. 7. & 8. phisic.

quod est Deus: quem causam causarum dixere philosophi, vniuersas causas ab eo moueri significantes. Vnde, & ibidem Aristoteles loquens de causis secundis, & de prima quomodo se habeant inter sese inquit. [Vtraque mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum, illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum. Et sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc mouebit.] Vbi Philosophus duplicem assignat differentiam inter primam, & secundam causam. Altera est, quod causa prima mouet secundam, non item secunda primam. Altera est, quod secunda causa sine prima mouente mouere non potest: Prima autem sine secunda bene valet operari. Et addit exemplum in baculo, qui sine mouente manu non mouebit, significans vniuersas causas secundas esse vt instrumenta primæ. Omnia hæc quæ lumine patent naturali, isti auxilij moralis assertores nega-

8.Phisic.tex. 33.

re non verentur. Aiunt enim liberum hominis arbitrium sine Deo realiter, & phisice mouente operari. Deum insuper ab ipso libero arbitrio dependere, & in omni ipsius auxilij operatione prædeterminari, non enim mouet nos Deus in voluntatem nostram agendo; sed expectat ipsam, vt incipiat operari, quam incipientem iuuat. Quæ fuit sententia Cassiani a Gelasio Papa damnata in Concilio 70. Episcoporum. Quam & D. Prosper refellit in libro contra eundem Collatorem locis multis. Quantum autem a ratione deuenient ista dicentes, demonstrãt Philosophi multipliciter. Nos autem ex multis pauca breuitatis studio proponemus.

Primo igitur in omnibus causis agentibus ordinatis illæ quæ subsequuntur necesse est agere in virtute primæ, sicut in rebus corporalibus intuemur. Corpora namq; inferiora in virtute corporum Cælestium operantur. In ordine autem vni-

uersarum causarum agentium Deus est prima causa, quia mouet manens immobilis, vt probat Aristoteles. Constat autem magis esse causam actionis id cuius virtute agitur, quam id quod agit. Quemadmodum agens principale magis agit quam instrumentum, quod passum tangit. Deus ergo vniuersarum actionum siue corporalium, siue spiritualium est causa præstantior, vnde cum omnibus, & in omnibus simul agit. 7.Phisicor. a princ.

Rursus omnis actio quæ cessante cuiuspiam agentis impressione permanere non potest, quod sit ab illo agente euidenter colligitur. Sicut manifestari colores est impossibile, nisi adsit solis illuminatio, qui aerem illustret. Sol igitur huius manifestationis colorum est causa. Similiter in motibus violentis manifestatur. Cessante namque virtute mouentis impressa mobili, cessat motus. Impellens igitur causa est illius motus. Deus autem non solum omnia quæ quoquo

modo sunt, fecit esse, cum primo esse cæperunt, sed quandiu sunt, esse in eis causat, eá inesse conseruans. Sic etiam potentias, & operationes, non solum rebus cum primo conditę sunt, indidit, sed semper eas in illis causat, & conseruat. ex quo patet, quod cessante influxu diuino omnis operatio cessaret. In illum igitur reducitur sicut in causam primam.

Denique quidquid applicat virtutem actiuam ad agendú est causa illius actionis, artifex namq. virtutem rei naturalis applicans ad aliquid agendum dicitur esse causa illius actionis. Sed omnis applicatio potentiæ ad operandum est principaliter, & primo a Deo. constát enim omnes virtutes operatiuas ad operationes suas applicari per aliquem motum Corporis, seu animæ, primum autem principium vtriusque motus est Deus. Est enim primum mouens omnino immobile. Et similiter omnis motus voluntatis quo applicantur aliquæ potentiæ seu vir-

tutes ad operandum, reducitur in Deum dupplicitér, & ſicut in primum appetibile quod mouet finaliter, & ſicut in primum appetentem, qui effectiue agit. Ex quo fit conſequens omnem operationem ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem Deo tanquam primo agenti tribui, & præſtantiſſime mouenti. Hoc ipſum ſacrarum litterarum teſtimonia confirmant, dicitur enim in libro Sapientiæ. [Diligis Domine omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, quo modo autem permanere poſſent niſi tu voluiſſes?] Sola ergo mala quæ odit non facit Deus. Bona autem omnia diligendo conſeruat, quæ amando ſimiliter facit. Bonas igitur operationes diligit, & operatur. Secundum illud Iſaiæ, [omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.] Et illud Ioannis [ſine me nihil poteſtis facere,] & illud Apoſtoli [Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.] His euidentiſſimis teſtimonijs, &

Sapien. 11.

Iſai. 26.

Ioann. 15.

Philipp. 2.

demonstrationibus obluctantur, qui moralis auxilij efficaciam astruunt, nè nobiscum confiteantur quod eis difficillimũ est intellectu, Deum mouere voluntatem nostram effectiue, & phisice. Ingenue fateor difficulter hoc capi posse, Deum liberum nostrum arbitrium omnipotenti sua virtute realiter agere, & voluntatem nostram liberam ad vtrumlibet permanere. Difficilius tamen iudico immo vero, & impossibile, diuinam omnipotentiam, in mouendo liberum arbitrium, quod ipsa condidit, seruata ipsius libertate, ac natura deficere. Iam vero isti alias egregij theologi efficaciæ moralis fautores easdem nobiscum voces intonant, fatentes efficaciam gratiæ esse a Deo ex intentione efficaci, ac proposito absoluto conuertendi hominem. Verba quidem placent. Falsitas enim imagine veritatis, ac splendore etiam personata delectat: nec tamen prioris aspectus laqueis irretiti perstringimur. Quoniam dum palliatæ

falſitatis ſpecies, formaq. ſolerti examinatione diſcutitur, ipſius tandem caligo aliena facie ſpoliata detegitur. Supradictis autem minime cohærentia, immo incocinna connectunt. Dicunt namque quod ſtante Dei intentione efficaci, & beneplacito abſoluto conuertendi hominẽ, poteſt nihilominus liberum hominis arbitrium reſiſtere. Quod quonam pacto ſimul ſtare valeat, non perſpicio. Efficax enim intentio Dei, abſolutumq. propoſitum nihil aliud eſt quam firma, ſtabilisq. Diuinæ voluntatis volitio. Quod ex illis Apoſtolicis verbis colligitur. [Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ] quem locum explicans D. Tho. ait quod denotatur in illo verbo ſecundum propoſitum cauſa efficiens. Idipſum confirmat in eodem capite inferius dicens. In quo & nos ſorte vocati ſumus prędeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecun-

Ephes. 1.

D. Tho. ibi

dum consilium voluntatis suæ] & alibi
Rom.8. sic dicit. [Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.] Cui proposito impossibile est aliquam creaturam obsistere, aut eius beneplacitum impedire, seu determinationem inuertere. Causarum enim naturalium infirmitas in causa est, vt per alias causas fortiores possit earum actio cassari. Dei autem omnipotentia immensa nulla ex parte infirma est: neque cuiuspiam creaturæ virtute vincibilis. Non igitur totius naturæ vis volitionem eius valet infirmare, qui operatur omnia consilio ac proposito voluntatis suæ. Vnde dicit
Isai.46. Isaias. [Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?] Et Mardo-
Hester 13. cheus [non est (inquit) qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris saluare Is-
Isai.14. rael.] Et iterum ait propheta. [Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.] Et regius Psaltes ita inquit.

[Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra.] Quem locum expendens D.Aug. [Deus autem (inquit) noster in cælo sursum, in cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit. Quod vtique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit. Et quod est indignius, ideo non fecit, quia ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit]. & paucis interpositis ita prosequitur: [Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium. Qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest. Neque voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.] Liquet ergo quod si efficax intentio, absolutumq. propositum Diuinæ voluntatis ponitur, hominem volentis ad se conuertere, non bene conuenit motio moralis efficax, cui humana voluntas facile valeat resistere:

Psalm. 134.

Enchir. c. 95.

ſed efficiens auxilium Phiſicum neceſſario conſtituendum eſt, quod omne liberum humanæ voluntatis vincat arbitriũ, tollat duriciam, ſubigat reſiſtentiam. Neque per hoc auferat, ſed ſtatuat, augeat, ac roboret libertatem. Demum [ſobrie, ac temperanter proteſtamur, nõ omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe rationem, & multas diuinorum operum cauſas ab humana intelligentia eſſe ſubductas: vt cum in temporibus, in nationibus, in familijs, in paruulis, in nondum natis; & genitis, quædam aut varie, aut inſigniter geſta noſcuntur, non ambigimus ea ex illis eſſe quæ iuſtus & miſericors Deus in hoc tranſituro ſeculo noluit ſciri. Quod quidem ad vtilitatem noſtram diſpoſitum ſentiendum eſt; vt quoniam ſalui facti ſumus, [cui præparauit Deus quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,] ſicut conſtanter credimus videndũ, quod nondum videmus, ita patienter expecte-

D. Proſper de Vocatio. gentium, lib. 2. c. 30.

mus intelligendum, quod nondum intelligimus. Si ergo male auida detrahendi absit obseruatio. His recte (vt arbitror) pertractatis; nullius superest causa certaminis; nec vltra necesse erit nos interminabilibus quæstionibus occupari.] Argumenta vero quibus aduersarij nituntur, dissoluemus, vt luci seruiant veritatis, quę fortius impugnata amplius refulget.

Argumenta nostram sententiam impugnantia enodantur. Cap. XXVII.

AD primum argumentum dicendum est, dum dicimus Deum esse causam phisicam actuum voluntatis per auxilium efficax, per causam phisicam non intelligi causam naturalem, seu ad vnum quid determinatam, quæ necessario operatur, sicut sol naturaliter, & phisice illuminat, & Ad primum.

calefacit. Sed cum phisicam appellamus eam quæ realiter operatur, & influit in effectum per veram, & realem efficientiam intelligimus. Quemadmodum passio Christi salutem nostram, & resurrectio eius nostram resurrectionem operata est, non solum moraliter, sed & efficienter phisice. Neque per hanc efficientiam phisicam libertas voluntatis adimitur, aut læditur: sed perficitur, & adiuuatur, vt ad ea eleuetur quæ per naturam non attingebat, quod & fide docente confitemur. In Concilio namque Tridentino sic diffinitur. Siquis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet. Neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere mereque passiue se habere anathema sit.] Nos igitur firma fide tenemus hominem a Deo motum hoc

Conc. Trid. sess. 6. can. 4. de iustificatione.

auxi-

auxilio mirabili efficaci, ac efficienti phisicoq; liberę Deo vocanti assentiri, & cooperari, absolute, & simpliciter loquendo, & in sensu diuiso. Si vero in sensu composito versetur sermo, quandiu firma stat ista suppositio, quod Deus nos hoc impellit auxilio, similiter secundum fidē profitemur nos necessario, & infallibiliter actus liberi arbitrij operari. Quare sensus compositi & diuisi discrimen nos non inuenimus, sed fidei nostræ indiuiduus est comes. Ita vt multa sacræ scripturæ testimonia aliter explicari non valeant, nisi sensum compositum, & diuisum distinguamus. Cuiusmodi est illud Mardochei orantis ad Dominum. [Domine Domine, Rex omnipotens, inditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.] Vbi manifeste loquitur in sensu composito, qui sub illa conditionali exprimitur si decreueris saluare Israel. Et illud Isaiæ. [Dominus exercituum de- Hester 13. Isaiæ 14.

cre-

creuit, & quis poterit infirmare?] In eodem ſenſu intelligitur. Suppoſito quod Deus aliquid decreuerit, illud nulla potentia caſſari poteſt in ſenſu compoſito. Illud quoque vniuerſale Diuinæ voluntatis decretum, [conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.] In ſenſu compoſito interpretandum eſt. Denique Apoſtolus in ſenſu conſimili illa verba profert. [Voluntati autem eius quis reſiſtit?] Nos ergo Deo mouenti efficaci ſuo auxilio reali non poſſe voluntatem noſtram non conſentire, in ſenſu compoſito aſſeueramus. Cæterum dum Tridentini Concilij Patres liberum noſtrum arbitrium eidem auxilio poſſe diſſentire diffiniunt, in ſenſu diuiſo neceſſario debent explicari. Sed vt hoc euidentius appareat, certum eſt ſecundum fidẽ præſcitum ſaluari non poſſe in ſenſu compoſito, alias enim voluntas Dei non impleretur. Conſtat tamen ex Concilio Niceno quemlibet hominem viatorem poſſe ſaluari, multos

Iſaiæ 46.

Rom. 9.

Conc. Nicenum can. 8.

autem viatores perſpicuum eſt eſſe præſcitos? Dicant ergo quibus hæc non placet diſtinctio ſenſus compoſiti, & diuiſi, quo pacto iſtæ duæ propoſitiones ſibi ad inuicem cohæreant, præſcitus poteſt ſaluari, & nullus præſcitus ſaluari poteſt, niſi altera in ſenſu compoſito, altera in ſenſu diuiſo accipiatur? Non igitur abſolute neceſſitatur voluntas hoc auxilio efficienti phiſico, ſed dum taxat ſuppoſitione facta, quod in capite vaſis manifeſte declaratur ex Diuo Auguſtino, Proſpero, & Fulgentio, vbi dicitur. Cap. Vaſis 23.q.4.
[Neque enim quia prædeſtinatio ſeu præſcientia Dei falli non poteſt, neceſſario eueniunt quæ prædeſtinantur, vel quæ præſciuntur, quæ futura ſunt. Sed quia bona abſque eius gratia, mala præter eius ſcientiam, euenire non poſſunt. Quamuis ergo conuenienter dicatur ſi hæc prædeſtinata ſunt, vel præſcita neceſſario euenient, non tamen ideo verum eſt abſolute, neceſſario euenient,

quæ prædestinata sunt, vel præscita. Quia hic necessitas refertur ad rerum euentum, ibi ad intuitum Diuinæ præscientiæ. Vnde Augustinus [duæ sunt, (inquit) necessitates, simplex vna, veluti qua necesse est omnes homines esse mortales. Altera conditionis, vt si aliquem ambulare quis scit, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque esse nouit, id esse aliter, quam notum est, nequit. Sed hoc minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non proprie facit natura, sed conditionis adiectio.] Hæc est omnium sanctorum communis consensio, Auxilio gratiæ efficaci reali phisico libertatem arbitrij non destrui, sed perfici D. Hieronymus contra Pelagianos sic inuehitur. [Quod autem sursum deorsum iactitant, liberum a nobis auxilium destrui, audiant e contrario eos arbitrij destruere libertatem, qui male eo abutuntur aduersum beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? Ille

Aug. de præd. Dei c. 1.

Epistola ad Ctesiphontē ante mediū.

qui

qui ſemper Deo agit gratias, & quodcunque in ſuo riuulo fluit, ad fontem refert, an qui dicit, recede a me quia mundus ſum, non habeo te neceſſarium? Dediſti enim mihi ſemel arbitrij libertatem, vt faciam quod voluero, quid te rurſum ingeris? vt nihil poſſim facere, niſi tu in me tua dona compleueris? Fraudulenter pretendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, ne ſcilicet liberum arbitrium videaris amittere, vt cum Dei contemnas adminiculum, hominũ queras auxilia. [Et D. Proſper contra Collatorem ſic liberi arbitrij firmat libertatem. [Non enim conturbat nos ſuperbientium inepta querimonia qua liberum arbitrium cauſantur auferri, ſi & principia, & profectus, & perſeuerantia in bonis vſque in finem, Dei dona eſſe dicantur. Quoniam opitulationes Diuinæ gratiæ, ſtabilimenta ſunt voluntatis humanæ. Volentes oramus, & tamen [miſit Deus ſpiritum in corda noſtra clamantem Ab- Rom. 8.

ba Pater.] Volentes loquimur, & tamen si pium est quod loquimur, [non sumus nos loquentes, sed spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis.] [Volentes operamur salutem nostram, & tamen [ipsum velle atque operari, Deus est qui operatur in nobis.] Volentes diligimus Deum & proximum, & tamen [charitas ex Deo est, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Hoc de fide, hoc de tollerantia passionum, hoc de pudicitia coniugali, hoc de continentia Virginali omnibusq. virtutibus sine exceptione profitemur. Quod nisi donata essent nobis, non inuenirentur in nobis. Et quod liberum arbitrium naturaliter homini inditum maneat in natura, sed qualitate & conditione mutata per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum: Qui ipsam voluntatem ab eo quod peruerse volebat, auertit: & in id quod ei bonum esset velle, conuertit.]

Matth. 10.
Philipp. 2.
1. Ioann. 4.

D. Similiter Augustinus eandem voluntatis libertatem passim edocet simul cum auxilio efficienti stare, & phisico. In libro enim de gratia & libero arbitrio ita dicit. [Meminerimus Deum dicere, [proijcite à vobis omnes impietates vestras,] cum ipse iustificet impium. Meminerimus ipsum dicere [facite vobis cor nouum, & spiritum nouum,] qui dicit [dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis.] Quomodo ergo quod dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est? Nisi quia dat quod iubet, & adiuuat, vt faciat cui iubet? Semper autem est in nobis voluntas libera.] Et in eodem libro sic inquit. [Non enim quia dixit Apostolus [Deus est enim qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.] Ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset non superius dixisset, [cum timore, &

De gratia & lib.arb.c.15.

Ezechiel.18.

Cap.8.

Philipp.2.

tremore vestram ipsorum salutem operamini.] Quando enim iubetur, vt operetur, liberum eorum conuenitur arbitrium. Sed ideo cum timore, & tremore ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tanquam suis extollantur operibus.] Non oportet plura Augustini similia dicta congerere. His namq. testimonijs eius volumina plena sunt. D. Bernardus de gratia, & libero arbitrio ex professo idipsum testatur, & comprobat, solam autem vnam ipsius sententiam referam paucis verbis ne fastidio sim lectori. [Si ergo (ait) nemo saluatur inuitus. Nam quod legitur in Euangelio, [nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.] Item in alio loco [compelle eos intrare.] Nihil impedit. Quia profecto quantoscumque compellere, vel trahere videatur ad salutem benignus pater, qui omnes vult saluos fieri. Nullum tamen iudicat salute dignum, quem ante non probauerit voluntarium. Hoc quippe intendit cum

De gratia & lib. arbitr.

Ioann. 6.

Luc. 14.

1. Timoth. 2.

terret, aut percutit, vt faciat voluntarios, non saluet inuitos: Quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat voluntatem.] D. Thomas mille locis arbitrij libertatem defendit simul cum auxilij efficientis motione consistere sub sensus diuisi, & compositi distinctione: quamuis in diuersum velint contrariæ sententiæ fautores inuertere. In prima parte quærit vtrum voluntas Diuina necessitatem rebus volitis imponat? & assumit primum argumentum ad probandum quod sic ex D. Augustino, qui ait, [nullus fit saluus, nisi quem Deus voluerit saluari, & ideo rogandus est, vt velit, quia necesse est fieri, si voluerit.] Respondet. [Quod per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis a Deo, non absoluta, sed conditionalis. Necesse est enim hanc conditionalem veram esse, si Deus hoc vult, necesse est hoc esse,] & alibi ita dicit. [Quod cum prædestinatio includat Di-

1.p.q.19.ar. 8. ad primũ.

Aug. in Enchirid.c.103

1.p.q.23.art. 6. ad tertiũ.

uinam voluntatem sicut supra dictum est, quod Deum velle aliquid creatum est necessarium ex suppositione propter immutabilitatem Diuinę voluntatis, non tamen absolute. Ita dicendum est hic de prædestinatione. Vnde non opportet dicere quod Deus possit non prædestinare quem prædestinauit in sensu composito accipiẽdo, licet absolute considerando Deus possit prædestinare, vel non prædestinare, sed ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo.] Et in primo contra gentes dicit. [Quidquid Deus potuit potest, virtus enim eius non minuitur, sicut nec eius essentia. Sed non potest nunc non velle quod proponitur voluisse. Quia non potest mutari sua voluntas, ergo nunquam potuit non velle quidquid voluit; igitur est necessarium ex suppositione eum voluisse quidquid voluit, sicut & velle, neutrum autem necessarium est absolute,) sed possibile:] Et paulo post ita docet. [Necessitas ex suppositione in causa, non

1. contra Gẽtes cap. 23.

Cap. 85.

potest cócludere necessitatem absolutam in effectu, Deus autem vult aliquid in creatura non necessitate absoluta, sed solum necessitate quæ est ex suppositione, ex voluntate igitur Diuinæ non potest concludi in rebus necessitas absoluta, hæc autem excludit contingentiam, nam etiam contingentia ad vtrumlibet, redduntur ex suppositione necessaria, sicut sortem moueri si currit, est necessarium. Diuina ergo voluntas non excludit a rebus volitis contingentiam, non igitur sequitur, si Deus vult aliquid, quod illud de necessitate eueniat. Sed quod hæc conditionalis sit vera, & necessaria, si Deus aliquid vult, illud erit, consequens autem non oportet esse necessarium.] In re manifesta probanda non expedit tempus terere. Qui namq. non intelligit hanc esse D. Thomæ sententiã, illum non legit. Legat, & intelligat. D. Item Ansel. in lib. de Concordia prædestinationis, & liberi arbitrij sic loquitur, [quando Deus vult effectum Anselm. de prædestin. & lib. arb. c. 2.

ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt, voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod velit.] Id ipſum docet D. Bonauentura qui ſic ait; [Attendendum eſt quod eſt neceſſitas conſequentiæ, ſicut ſupradictum eſt de præſcientia. Ipſa enim non habet neceſſitatem conſequentis, ſed conſequentiæ. Quia neceſſario infert, & ſequitur. Deus præſciuit hoc; ergo hoc erit. Sed tamen non neceſſario præſcit, quia in actu præſciendi frequenter notatur effectus contingens. Sic colligendum eſt quod voluntas Dei abſoluta connotat euentum rei, & ideo eſt ibi neceſſitas conſequentiæ, ſed non conſequentis. Quia non mutat euentum rei, immo vult Deus quod veniat conſequens contingens. Vnde ſicut præſcientia, quia neceſſario infert effectum, non poteſt falli, ſic voluntas abſoluta, quia neceſſario infert, non poteſt impediri. Immo eam neceſſarium eſt impleri.] Vnde poſt pauca dicit, bene ſequitur. [Vult iſtum ſaluari volun-

D. Bonauēt. in 1. ſent. diſtinct. 47.

Ad ſecundū.

tate absoluta, ergo iste saluabitur.] Et paucis interpositis ita docet. [Sicut diuina voluntas seu diuinum velle connotat effectum; ita connotat efficientiam causæ particularis. Cum enim dicitur Deus vult istum saluari, non est sensus quod in omni euentu velit: sed quod vult istum saluari, & vult istum velle. Vnde sicut diuina voluntas connotat istum effectum euenire, & ideo necessario sequitur effectus ad ipsam: ita connotat causam creatam concurrere, & ideo necessario sequitur si Deus vult istum saluari, quod iste etiam velit.] Hactenus D. Bonauentura. Non igitur potest in dubium reuocari hunc esse communem sanctorum sensum, necessum scilicet esse si Deus mouet hominem auxilio efficienti phisico, illum operari in sensu conditionali, & composito, & necessitate consequentiæ. In sensu vero absoluto diuisoq. atque ex parte consequentis plena libertate agere. Et quod de efficacia phisica sit dictorum

ſanctorum ſermo, vel hinc euidens iudicium ſumitur. In auxilio namq; morali non habet locum iſta diſtinctio, quoniam in eo nunquam neceſſum eſt hominem operari, ſed ſiue de ſenſu diuiſo loquaris, ſiue de compoſito ſemper remanet voluntas libera. Nec neceſſitate conſequentiæ, neque conſequentis ad operandum conſtringitur. Hæc dixerim ex parte auxilij, quoniam ſi ex parte præſcientiæ ſermo fiat, ſicuti hæc eſt vera, ſi Deus præſciuit Petrum bene acturum, bene aget. Ita hæc eſt vera, ſi Deus præſciuit eundem blaſphematurum, blaſphemabit. Sed hæc præſcientia ſpeculatiua, vt alias diximus, auxilij vllam rationem non obtinet. Siquidem non auxiliatur, ſed quæ futura ſunt ab æternitatis culmine intuetur. Cæterum, vt iſta quantum materia patitur clariora fiant, oportet huius diſtinctionis ſenſus diuiſi, & compoſiti cauſam intelligere. Exemplis autem res hæc euidentior euadet. Certum eſt in manu

mea esse potentiam receptiuam albedinis, & nigredinis, non vt simul vtramque formam, sed diuisiue, modo hanc modo illam recipiat. Cum ergo in propositione denotantur ambæ simul posse cohærere, erit falsa propositio: alias erit vera, si disiunctim eidem subiecto conuenire posse dicantur. Vnde vera est hæc assertio hoc album possibile est esse nigrũ, quia potentia importata per modum vtramque formam distinguit, & vtrique diuisim se accommodat. Vt patet resoluenti. Bene namque sequitur hoc possibile est esse nigrum, & hoc possibiliter est album, ergo hoc album possibile est esse nigrum. Veruntamen hæc est falsa, hoc album esse nigrum est possibile, quia potentia modi in vtramque formam simul fertur, & ambæ formæ compositionem in subiecto faciunt. Resoluitur enim per suam de inesse. Huius enim propositionis hæc est resolutio. Hæc propositio est possibilis, album est nigrum quam constat

esse impossibilem. Pari modo dicendum est de potentijs actiuis, quæ ad illos actus sese extendunt, quos simul exercere est impossibile, sicut sorbere, & flare. Hæc propositio vera est sorbens potest flare; facit enim sensum diuisum, sed tamen hæc falsa est, sorbentem flare est possibile, quia facit sensum compositum, non tamen est potentia ad vtrumque simul. In sensu ergo composito, semper erit propositio falsa vbi vnus actus componit simul cum contrario. Quocunque igitur modo supponatur vnum contrariorum conuenire actu vni subiecto, necessario excluduntur alia contraria ab eodem subiecto. Vt si ego videam Petrum esse album sub illa conditione, necessario Petrus est albus. Omne namq. quod est, quandiu est, necesse est esse. Vnde sub illa conditione, & in sensu composito non potest esse niger. Esset enim simul albus & niger, quod est impossibile. Absolute tamen, & in sensu diuiso, & ex sua natu-

ra bene poteſt eſſe niger. Similiter ſi Deus præſciuit me nunc ſcribere, neceſſario ſcribo. Cæterum cum iſta neceſſitate quæ eſt ſecundum quid, ideſt conſequentiæ, ſtat libertas, & contingentia conſequentis abſoluta, & ex natura ſua. Quia cauſa immediata puta voluntas humana libere operatur. Eſt enim libera ad vtrumlibet. Similiter dum voluntas auxilio efficienti reali mouetur, poteſt abſolute aſſentire, & diſſentire. Remanet enim indifferentia iudicij, quæ radix eſt libertatis vt ſupradictum eſt. Ad argumentum igitur dicimus quod moueri voluntatem humanam a Deo efficienti auxilio, & moueri libere, nullam inuoluunt contradictionem. Et ad probationem, dicimus, quod facta ſuppoſitione non poteſt voluntas non moueri, quoniã poſita conditione quod mouetur, non poteſt ſimul conuenire contrarium. Non inquam eſt poſſibile, vt liberum arbitrium ſimul velit & nolit, non enim eſt

in eo potentia ad ambo ſimul, ſed ad vtrumlibet diuiſim. Abſolute tamen, & in ſenſu diuiſo poteſt voluntas non agere ſicut poteſt non moueri, quia neque Deus eam mouet neceſſario, neque ipſa ſe neceſſario agit abſolute. Ad alteram probationem reſpondetur ex dictis. Quod non eſt libertas ad duo contraria ſimul. Vnde ſi ſemel ſupponatur, quod voluntas velit, non eſt ad nolendum ſimul libera. Sicut dum ſupponitur quod manus mea eſt alba, non remanet in ea potentia, vt poſſit eſſe nigra ſimul. Suppoſito igitur Dei auxilio efficienti, & phiſico quo me mouet, vt velim, neceſſario ponitur me velle. Hoc autem non ſolum in nobis, ſed etiam in Deo maximo contingit, qui eſt immenſa libertate pollens, & mundum liberrime creauit, & conſeruat, & libere quotidie creaturas producit. Suppoſito tamen quod ab æterno decreuit eas producere, eaſdem neceſſario creat, in ſenſu compoſito. Quis au-

tem asseuerare audeat quod in sensu diuiso, & absoluta necessitate ad producendum eas constringatur? Sed instant aliqui sic argumentantes. Dum quidpiam ex aliquo antecedenti dependet, si antecedens est immutabile, & ineuitabile, similiter erit immutabile consequens, & ineuitabile, ac proinde stultum erit, vt non eueniat conari. Sicut posito quod sol nostrum emisphærium illuminet, necessario dies est. Fatuum ergo erit laborare, vt dies non sit, supposito quod sol luceat. Ergo cum Diuina voluntas sit immutabilis, omne volitum eius erit immutabile & ex consequenti stultum est hominem esse sollicitum ad operandum, quod Deus esse nõ vult: aut laborare, vt impediat, quod Deus semel statuit, vt sit. Et sic omnis humana sollicitudo tollitur. Pro huius argumenti solutione oportet cum Angelico Doctore considerare, quod ab efficacia diuina procedit quod aliqua necessario, alia contingenter eueniunt; vt complementum, D. Thom. 1. p. q. 19. art. 8

& perfectio mundi saluetur. Vnde effectibus necessarijs causas applicuit necessarias, contingentibus autem contingentes. A Dei ergo voluntate promanat quod effectus necessarij aliter se habere non possint, & quod contingentes, contingenter eueniant. Et ideo totius ordo vniuersi ab illius voluntate dependet. Pendet igitur effectus à causa secunda, & prima, ita vt nisi ponatur causa secunda effectus non subsequetur. Proinde, vt effectus eueniat, oportet vniuersas causas concurrere, quas Deus ad illius productionem aptauit. Veluti ad segetum productionem causas præparauit vniuersales, & vt semen iaciatur in terram excultam, & aratam: & pluuia terram inebriet, & fœcundet. Esset autem stolidus, qui vellet habere triticum, & nollet arare, aut terræ mandare semen dicens, quod à Deo decretum est, vt producat segetes: Sic igitur statuit Deus in homine, & cum homine opera bona operari, concurrente

illius voluntate, & libere cooperante. Quare si liberum arbitrium contra Dei motionem stimulantem recalcitret, non sequetur operatio. Sed in sensu composito durum est, immo impossibile contra stimulum Diuinæ gratiæ efficientis phisice recalcitrare. Non est autem stultum causas mutabiles ex natura sua, & impedibiles mutare velle, & impedire. Sicut stultitia vacat læthalis infirmitatis causas velle medicinis auertere, quamuis sæpe sit decreta mors.

Ad secundum respondetur sicut inter proponendum dictum est, quod antecedens non est omnibus modis necessarium ex connexione scilicet extremorum, sed tantum ex suppositione. Itaque hæc propositio est necessaria Deus voluit me conuerti, quoniam habuit hanc de in esse veram Deus vult. Similiter consequens est necessarium, non ex se, sed necessitate consequentiæ ex suppositione antecedentis. Nam consequens nequit maiorem

Ad secundũ.

necessitatem habere quam antecedens,cũ sit effectus illius. Dicitur autem propositio de præterito quæ vera est,simul esse ex consequenti necessaria. Quia id quod est quandiu est,necesse est esse, & id quod fuit cum habuerit vnam deinesse veram,semper necessum est fuisse.Secundo respondetur quod illa propositio Deus sciuit Anti-Christum esse futurum,non est secundum rem de præterito,quamuis secundum formam appareat,sed de præsenti, & legibus aliarum propositionum de præsenti regulanda. Et ratio est facilis. Hæc namque propositio Deus sciuit, est mensuranda mensura Dei quæ est æternitas, nullam admittens successionem præteriti aut futuri, est enim vnum instans in quo cuncta Deo præsentia subsistunt, siue quæ præterierunt, siue quæ futura sunt. Hæc Dei mensura omnes temporis differentias, siue præteriti, siue futuri, eminenter complectitur. Est enim per se, & formaliter simplicissima, & tota simul.

Vnde licet secundum quid, hoc est secundum verbalem differentiam, & significationem sit de præterito: secundum rem tamen, & simpliciter verificanda est pro instanti præsenti. Quod manifeste docet D. Thomas, dicens. [Quod quia in æternitate nihil est præteritum aut futurum, idcirco hæc propositio Deus prædestinauit Petrum, actum prædestinationis importat, provt egreditur de præsenti a libera Dei voluntate.] Respondetur tertio solutione D. Thomæ qui ait, [quod dum in antecedenti ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens accipiendum est non secundum quod est in re, sed secundum quod est in anima. Vt si dicamus Petrus intelligit aliquid, ergo illud est immateriale. Quamuis intelligat lapidem, intelligit illum sub forma immateriali, sicut est ipse intellectus immaterialis. Et sic accipiendum est consequens non secundum quod est in natura.] Erit igitur eadem necessitas consequentis,

De Veritate q.6.art.3.ad 10. & 1. sententiarũ distinct.39.q.1 art.1.ad primum.

1. par. q.14. art.13.ad secundum.

quæ eſt & antecedentis, ſcilicet ex ſuppoſitione.

Ad tertium.

Ad tertium reſpondetur quod vnũ de requiſitis, vt bona opera libere poſſit voluntas efficere eſt auxilium efficiens, & phiſicum, quod non manet habitualiter in voluntate, ſed actu mouet eam dum operatur, quam etiam præuenit prioritate tantum naturæ, non temporis. Nec tunc libertatem adimit, ſed perficit, non deprimit, ſed eleuat, infirmæ medetur, ac denique dat fortitudinem Deus noſter, vt operetur virtutem magnam iuxta verbum Deutheronomij. Hoc in ſenſu diuiſo intelligitur. In compoſito autem quid docendum ſit, ſtatim ſecunda ſolutione explicatur. Secundo reſpondetur quod vnum ex requiſitis ad operandum eſſe auxilium efficiens & phiſicum, non debet intelligi cum actu eſt, ſed antequam ſit, dum eſt homini præſentaneum ex voluntate Dei. Vnde illa diffinitio venit intelligẽda de requiſitis

Deuth. 8.

ante inſtans operationis, non autem in ipſo inſtanti quo voluntas operatur. Tunc enim ſi ponatur auxilium efficax iam facit ſenſum compoſitum, vt ſi ponatur iudicium rationis actu determinans voluntatem ad vnum, nequit voluntas ferri in contrarium, quia cum illo iudicio ſimul ſupponitur, quod voluntas in vnum, actu moueatur. Vnde non remanet potentia ad oppoſitum ſimul, eſſet enim implicatio, & darentur facile duæ contradictoriæ veræ. Cæterum in ſenſu diuiſo iam dictum eſt, dum Deus actu mouet liberum arbitrium ad aliquid operandum poſſe illud ei reſiſtere, & non operari. Si autem dicas quod poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur inconueniens, ponatur ergo quod actu mouenti Deo volūtatem efficienter, & phiſice, voluntas reſiſtat; Reſpondemus. Quod poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur inconueniens, ſi ponatur vt eſt poſſibile, & tunc remoueatur actus neceſſe eſt, qui neceſſario illud

auxilium phiſicum ſequitur, & tunc non erit inconueniens ponere voluntatis reſiſtentiam. Verumtamen ſi primus non repellatur actus, vt iam diximus in ſenſu compoſito non poſſe repelli, neutiquā poteſt poni alius actus, qui contrariatur illi. Quamuis enim ſit poſſibilis illi potentiæ abſolute, & in ſenſu diuiſo, quia præualet ad vtrumlibet, non tamen eſt compoſſibilis cum priori actu ſuppoſito;

Ad Confir. Ad Confirmationem reſpondetur, quod neque Angelus, neque aliqua creatura poteſt mouere voluntatem meam motione phiſica, quæ ſe teneat ex parte potentiæ, ſed ſolus Deus qui naturam condidit. Si tamen Angelo talem conferret facultatem, vt liberum moueret arbitrium ad vnum quid illud determinando, & indifferentiam rationis remouendo, ei abſolute neceſſitatem inferret. Non autem ſic mouet Deus auxilio efficienti Diuinæ gratiæ; ſed vt diximus naturam perficit ad opus bonum libere

peragendum, quod illa motione remota non poterat. Ad exemplum de mouente manum meam ad scribendum respondeo. Quod dupliciter quis manum meã mouere potest. Vno modo me repugnante, & contra nitente, & tunc mihi necessitatem inferret, & vim paterer, non quidem in voluntate per se & immediate, quippe quæ in suo actu immediato cogi non potest, sed quoad actum externum imperatum. Si autem ego libens manum meam præstarem alicui, vt eam ad scribendum dirigeret, & ego cum illo conscriberem, tunc temporis appositissimum exemplum est, ad rei præsentis explicationem. Sicut enim scriba docet puerum scribere, manum illius apprehendens, & ordinate mouens, vt bene formatos caracteres exaret. Ita Deus voluntatem hominis in qua virtus motiua est, sua diuina voluntate apprehendit, auxilio efficienti adiuuat, manum liberi dirigit volentis arbitrij. Sed & hoc velle

Dei donum est, vt totum quod bonum est Diuinæ gratiæ tribuatur, non solius naturæ virtuti. Vtique hæc est Regij Prophetæ confessio cum ait, [tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.] Quibus verbis gratiam operantem, & cooperantem; & vsque in beatitudinem adducentem humili confessione profitetur.

Psalm. 72.

Ad quartum

Ad quartum Argumentum respondetur breuiter, quoniam ex superioribus patet solutio. Quod cum Deus nostras rebelles trahit voluntates in bonum, non eas necessitat, sed in manu Consilij sui illas relinquit, vt liberum præstent consensum, vel dissentiantur. Non enim esset Deus omnipotens si voluntatem quam liberam condidit: ad libere operandum efficienter agere non valeret. Potentia namq. infinita non solum causarum actus peragit secundum substantiam, sed etiam secundum modos, & conditiones earum,

vt ad necessarios necessario, ad contingentes contingenter, ad liberos seruata libertate concurrat. Non enim ad vnum determinat voluntatem: nec rationem priuat indifferentia iudicij, sed liberi arbitrij naturam, & virtutem vt operetur supra se auxilio efficaci confortat. Quod si absolute necessitate vellet, naturam voluntatis oporteret inuertere.

Ad quintum argumentum respondetur, quod Deus & causæ secundæ non partialiter ad effectus conueniunt, sed vnus atque idem effectus est ab vtroque agente totus, & immediate. Itaque totus est Dei, & totus causæ secundæ. Nam in quolibet agente est duo considerare; scilicet rem ipsam quæ agit, & virtutem qua operatur, sicut ignis per calorem calefacit. Virtus autem inferioris agentis a virtute superioris dependet, inquantum superius agens inferiori agenti virtutem cõmunicat, per quam agit, vel eam conseruat, aut etiam ad agendum applicat.

Ad quintum

D. Thom. 3. contra gent. cap. 70.

Sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum. Pendet igitur actio inferioris agentis ab omnibus superioribus in quorum agit virtute. Et sicut agens infimum immediate agit, ita virtus primi agentis est immediate ad producendum effectum. Vnde idem effectus est immediate a Deo, vt à causa prima, & immediate ab inferiori, vt à causa proxima. Nec enim earum superfluit altera, quia inferior nisi virtute Dei non producit effectum. Ac licet Deus per se possit omnes effectus producere, qui per alias causas producuntur, non tamen voluit, sed vt immensitatem bonitatis suæ in suis creaturis ostenderet, non solum eas sibi in hoc quod essent assimilauit, verum etiam in eo quod essent ipsæ aliorum causæ. Et sic decor ordinis in vniuerso pateferet. Hoc ipsum necesse est de liberi arbitrij operatione astruere. Agit enim in virtute Dei, ac proinde immediate Deus eius actionem attingit gradatim ad superna-

turalia opera conscendendo, quæ a libertate voluntatis oriuntur, & Dei præmouentis sunt, qui agendi virtutem donat, conseruat, & ad operandum applicat. Sed hominis etiam libere operantis existunt, vnde per ea promeretur. Cæterum differt inter vtrumque maxime. Sũt enim hominis tamquam a Deo vniuersa recipientis, sunt autem Dei tanquam a nullo dependentis. Ait Psalmista, [Cor mundum crea in me Deus.] Quantum attinet ad naturã iam cor eius Deus creauerat, sed renouationem postulat, qui adiungit, [& Spiritum rectum innoua in visceribus meis.] Petit autem sibi cor nouum creari. Quoniam in eo quod creatur nihil præsupponitur. Sic in eo quem Deus in gratia creat, initium & consummationem ipse facit, neque aliquid est in illo quod ipse non faciat. Huius ergo argumenti fictores audiant D. Augustinum omnia hæc ita enodantem. Adducens enim istum locum Pauli, [igitur non vo-

Psalm. 50.

In Enchirid. cap. 32.

Rom. 9. lentis neque currentis, sed miserentis est Dei:] inquit. [Cum proculdubio si homo eius ætatis est, vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit: nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit: Quomodo ergo non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia ipsa voluntas sicut scriptum est a Deo præparatur? Alioquin si propterea dictum est non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex vtroque fit, idest ex voluntate hominis, & misericordia Dei, vt sic dictum accipiamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: non sufficit ergo sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis. Ac per hoc si dictum est recte non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet: cur non & econtrario recte dici-

tur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei solà non implet. Porro si nullus Christianus dicere audebit non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolus apertissime contradicat, restat, vt propterea recte dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei bona, sed non omnia; quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa, nam vtrumque legitur in sacris eloquijs, & [misericordia eius præueniet me.] Et [misericordia eius subsequetur me.] Nolentem præuenit, vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit.] Ex omnibus istis patet, quod nos nihil possumus sine Deo, omnia namq. habemus a Deo, qui omnia potest sine nobis; quia non dependet a nobis.

Psalm. 58.

Psalm. 22.

Ad ſextum.

Ad ſextum Argumentum reſpondetur. Quod verum eſt in conuerſione noſtra Deum in nobis producere velle, & conſentire. Alioquin namque [non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt,] a quo & cogitatum rectum, volitionemque, atque aſſenſum naſci profitemur. Negatur autem nos nihil agere. Cooperamur enim Deo mouenti, & inſpiranti, & liberum arbitrium noſtrum impellenti. Non enim libertate nos priuat Diuina motio, vt ſæpius dictum eſt. Quoniam licet impellat fortiter vt effectum aſſequatur, diſponit tamẽ ſuauiter, ita vt vniuſcuiuſque inſtrumenti, ſeu cauſæ ſecundæ, ſeruetur natura. Cum ergo conuertimur, libere aſſentimur, & coagimus. Ad probationem ex D. Auguſtino, qui ait, quod [Deus quod operando incipit, cooperando conſummat.] Reſpondetur primo. Quod idem Auguſtinus dicit, quod [Deus multa fa-

2.lib. contra duas Epiſtolas Pelagianorũ c.8. Et Cõc.Arau.2 can.20.& D. Th.1.2.q.111. art.2.& in 2. ſent. diſt.26. art.5. ad 3.

cit bona in homine, quæ non facit homo, nulla vero facit homo bona, quæ non faciat Deus vt faciat homo.] Per gratiam enim iustificantem ſanatur anima, iuſtificatur, & grata fit Deo, vnde ſuſcipit homo, vt poſtea velit. Cum autem voluntas actu vult, iam gratia quod ceperat operando, in nobis cooperando conſummat. Reſpondetur ſecundo quod dum ſuo auxilio efficaci nos Deus actu mouet, nos præuenit. Secundum ergo quod operationem noſtram præoccupat, & ab eo incipit, dicitur operando incipere, quod cooperando, dum nos operamur, conſummat. Ad rationem facile reſpondetur, quod prima operatio tribuitur auctori naturæ in naturalibus, & inſuper naturalibus auctori gratiæ. Non quidem quia voluntas has omnes operationes ſuas non agat libere, ad hoc enim eſt liberum arbitrium inditum a natura, vt operetur libere. Sed quia moraliter non ſe mouet ad intentionem finis.

Eſt enim finis intentio principium in moralibus, & ex intentione finis ad mediorum electionem ſeſe mouendo voluntas progreditur. Vtrumque vero voluntarie agit. Quod docet D. Thomas dicens. [Quod quantumcunque natura aliqua ponatur perfecta ſiue corporalis ſiue ſpiritualis, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moueatur a Deo. Quæ quidem motio eſt ſecundum ſuæ prouidentiæ rationem, non ſecundum neceſſitatē naturæ, ſicut motio Corporis Cœleſtis. Eſt igitur motio Diuina iuxta naturam mobilium in voluntarijs libera, in neceſſarijs neceſſaria.]

1. 2. q. 109. art. 1.

Ad ſeptimū.

Ad ſeptimum Argumentum reſpondetur iuxta ea quæ ſupra iam notata reliquimus, quod auxilium ſufficiens ſi per ſe ſit ſolum, eſt diſpoſitio remota ad iuſtificationem, quod proinde non attingit productionem gratiæ per ſe ſolum. Sed adhoc neceſſaria eſt diſpoſitio vltima, quę eſt a gratia ſicut a forma, & ſimul cum

ea. Et hæc diſpoſitio, quæ formam gratiæ, quæ introducitur, comitatur, eſt auxilium efficiens. Calor enim, vt quatuor diſponit ad introductionem formæ ignis remote, nec tamen introductionem formæ ſubſtantialis attingit, ſed bene calor vt octo, qui vltima diſpoſitio eſt. Et ſicuti hoc ordinatur a natura, illud a gratia ſtatuitur.

Ad octauũ.

Ad octauum reſpondetur, quod vt iam ſæpius dictum eſt per motionem Dei efficientem non tollitur liberum voluntatis arbitrium. Sed poſita gratia determinante poteſt voluntas agere, & non agere. Sicut enim determinatur per Dei efficaciam, vt agat, ita etiam præfinitur, vt libere agat abſolute loquendo, & in ſenſu diuiſo. Nec enim in poteſtate noſtræ naturæ ſitum eſt, vt gratia ponatur. Si enim operibus noſtris, poneretur, iam non eſſet gratia, ſed debitum. Contra id quod tradit Apoſtolus, [ſi autem ex operibus, iam non eſt gratia.] Ad confirmationem

reſpondet D. Thomas dicens [quod licet aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri poſſit, neque acquirere, poteſt tamen ſe ipſum impedire per peccatum ne illam recipiat. Dicitur
Iob 21. enim de quibuſdã in ſacra ſcriptura: [Dixerunt Deo recede á nobis ſcientiam via-
Iob 24. rum tuarum nolumus.] Et iterum [ipſi fuerunt rebelles lumini.] Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij, impedire ſcilicet receptionem Diuinæ gratiæ, vel non impedire, non immerito inculpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam præſtare,
1.Tim.2. [qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] Sed illi ſoli grátia priuantur, qui in ſeipſis gratiæ prestant impedimentum. Sicut ſole mundum illuminante, inculpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malũ ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præueniátur. Secundo dicimus

quod

quod quilibet homo in hac vita sufficiens habet auxilium, vt salutem possit conse-qui, & ad Deum conuerti, quod secundũ fidem tenendum est. Alias enim non imputaretur homini inculpam, quod non conuerteretur, cum id per solam naturam non possit. Neque cum solo auxilio suffi-cienti conuertetur, nisi adfuerit auxilium efficiens, & phisicum. Si autem sufficienti bene vtatur homo, auxiliũ efficiens non ei deficiet. Est ergo illius culpa, & quod ab-utitur Diuino auxilio sufficienti, & quod efficiens non percipit, & quod gratiam iustificantem non assequitur.

Ad nonum Argumẽtum respondetur. Accipiendam esse regulam D. Anselmi de Concordia gratiæ & liberi arbitrij, qua docet [quod cum aliquid dicit sacra scri-ptura pro gratia non remouet, liberum ar-bitriũ, neque cum loquitur pro libero ar-bitrio excludit gratiam: quasi sola gratia, aut liberum arbitrium solũ sufficiat ad sal-uandum hominẽ. Ita quippe intelligenda Ad nonum.

ſunt dicta diuina, vt nec ſola gratia, nec ſolum liberum arbitrium ſalutem homi-nis operetur. Quippe cum dicit Domi-
Ioann.15. nus [ſine me nihil poteſtis facere,] non ait nihil valet vobis veſtrum liberum ar-bitrium, ſed nihil poteſt ſine mea gratia. Similiter quando ita loquuntur Diuina dicta, vt libero arbitrio ſoli videantur ſa-lutem hominis attribuere, nullo intelle-ctu gratia ſeparanda eſt. Sicut ergo qui-uis naturalis vſus non procreet prolem ſi-ne Patre, nec niſi per matrem, non tamen remouet vllus intellectus aut patrem, aut matrem a generatione prolis. Ita gratia, & liberum arbitrium non diſcordant, ſed conueniunt ad iuſtificandum, & ſaluan-dum hominem.] Hæc quidem Anſel-mi regula generaliſſima eſt quotieſcun-que aliquis ex multis cauſis dependet ef-fectus. Tunc enim nunc vni, nunc alte-ri cauſæ poteſt aſcribi, dummodo cæte-ræ non excludantur. Hinc illæ ſcriptura-
Rom.8. rum voces. [Spe ſalui facti ſumus.]

[Iustus ex fide viuit.] [Charitas operit multitudinem peccatorum.] [Pœnitentiam agite appropinquabit enim Regnum Cœlorum.] [Fides tua te saluum fecit.] [Eleemosina extinguit peccatū.] Nihil horum solum iustitiā perficit Christianam: quæ tamen nunc illi, nunc illi tribuitur. Ita gratia, & liberum arbitrium nostram iustificationem operantur, & salutem. Sancti vero sacrum eloquium explicantes, sicut etiam ipsa scriptura, nunc gratiæ, nunc autem libero arbitrio eam tribuunt, neutrum excludentes. Sic etiam cum Deus impium iustificat, voluntatem tangit fortiter, & ex parte intellectus, obiectum disponit suauiter, non enim per vim frangit voluntatem, sed suauitatem facit incredendo. Cum igitur sancti morale auxilium in nostra conuersione magnificant, efficientia realis non tollitur. Vnde ad D. Augustinum respondere non est difficile, cum ex innumeris locis iam constet eius sententia, sci-

Abacuch. 2.
1. Petr. 4.
Matth. 3.
Matth. 9.
Eccles. 3.

licet ad iustificationem hominis auxilium morale solum non sufficere, sed necessarium esse semper efficiens. Vt patet ex ipsius testimonijs, quæ superius retulimus. Vbi ex professo hunc locum, qui aduersus nos adducitur contra argumentantes retorsimus. Meminit namq. ibi Augustinus gratiæ operantis, & cooperantis. Operantis quidem dum in omnibus nos præuenit, & ipse sine nobis operatur. Quare hæc omnia eius sunt. Vniuersa igitur quæ a Deo dona recepimus, ab ipso solo nobis proueniunt. Cæterum ad nos transeunt per hoc quod accipimus, & possidemus, & consentimus. Id nostrum est, quia cooperamur Deo operanti, non autem quia soli id faciamus, sed quia in his simul cum Deo operamur. Quo enim modo in omnibus non præuenit, si nos non mouet ad omnia; Quomodo nos præuenit dum efficimus, si in ipso efficere non inuenitur prior faciendo, vt faciamus? Quod & ipse Augustinus aperte

fate-

fatetur cum ait, [Profecto, & ipsum velle credere Deus operatur in homine.] Ipsum insuper consentire bonum non est, nisi a bona voluntate procedat. Per Dei autem gratiam fit bona voluntas quemadmodum & infra nos erudit dicens. [Ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam pertinere non ambigens, hoc est ad Dei dona, nec tantum vt sit, verũ vt bonum sit, idest, ad facienda mandata Domini conuertatur. Atque ita Dei gratia non solum ostendat, quid faciendum sit, sed adiuuet etiam, vt fieri possit quod ostenderit. Post pauca clarius adhuc explicat omnia bona opera nostra Deum operari nobiscum, & in nobis, in eodem capite dicens. [Nam si propterea non est opus Dei, quia per nos agitur, vel quia illo donante nos agimus, nec illud est opus Dei, vt mons transferatur in mare, quia per fidem hominum fieri posse Dominus docuit, & hoc ipsorum operi attribuit dicens. [Si habueritis in vo-

Cap. 35.

Marc. 11.

bis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic tollere, & mittere in mare, & fiet, & nihil impossibile erit vobis.] Certe vobis dixit non mihi aut Patri, & tamen hoc nullo modo facit homo nisi illo donante, & operante. Hoc ipsum cum D. Aug. sacræ scripturæ testimonijs confirmasset, super adiungit. Quæ scriptura Diuina si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, & in æternam dirigit vitam: verum etiam illas quæ conseruant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate vt eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari. Dicamus ergo cum eodem Augustino [totum bonum quod habemus ab Artifice nostro habemus; sed si hoc in nobis est, quod ipsi fecimus, inde damnabimur: si autem hoc quod Deus fecit, inde coronabimur.]

D. Aug. de gratia & lib. arb. c. 20.

Quidam autem moralis efficaciæ defensores aliqua D. Aug. testimonia in suæ

ſententiæ defenſionem adijciunt, quę nullatenus diſſimulanda ſine ſolutione decreui. Primum autem ex Eccleſiaſticis dogmatibus aſſumunt, vbi dicit [manet ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, ideſt rationalis voluntas, ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt inſpiratione Dei. Vt autem conſequatur quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit Dei eſſe libere confitemur. Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus: vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt.] Hæc ſunt verba expreſſa D. Auguſtini. Ex quibus iſti auctores ſic colligunt. Initium ergo boni operis in eo ſolum eſſe dixit, vt Deus inuitet: At Deus ſola cogitatione, & primo motu non deliberato ad conſenſum inuitare dicitur. Ergo ſentit ibi eſſe gratiam operantem: hanc enim vbique dicit eſſe initium boni operis: acquieſcere autem ſanctæ inſpi- Cap. 21.

rationi, quæ cogitatione inuitabat ad consensum dicit iam esse nostræ potestatis, intelligit cum gratia Dei. Sentit igitur gratiam Dei esse comitem nostri consensus, & nos ipsi cooperari cum consentimus, hoc autem contingit etiam in primo motu libero circa finem. Asserere igitur debemus in omni consensu libero esse gratiam cooperantem; & non solum in secundo & in opere exteriori atque etiam nullum aliud in Augustino initium salutis & boni operis inueniri; quod gratiam operantem appellet præter sanctam vocationem, qua ad consensum inuitamur. Quibus verbis assertores moralis auxilij neque D. Augustinum, neque D. Thomam se legisse testantur, dum gratiam operantem in actu voluntatis circa finem non constituunt. Vterque namq. in eo actu gratiam docet operantem. Tunc enim Deus gratia sua liberum mouet arbitrium ad primum actum, qui est Auctoris naturæ seu gratiæ. Voluntas enim

D. Aug. lib. de gratia & lib.arb.c.17. D. Tho. 1.2. q.111. art.2.

tunc quamuis libere cooperetur gratiæ, non tamen deliberata ratione. Vnde non dicitur seipsam mouere, sed moueri ab Auctore gratiæ. Cum autem ex volitione finis ad mediorum electionem progreditur, tunc seipsam mouet moraliter, & gratia cooperatur ei. Vnde gratia, quæ ad primum actum operata est, in secundo cooperatur. fateor autem etiam doctores in primo actu circa finem gratiam cooperantem ab operante distinguere. Ibi enim quædam reperiuntur quæ Deus in nobis, sine nobis operatur, cuiusmodi sunt vocare, inspirare, pulsare, provt solum se tenent ex parte Dei, & nostram operationem præueniunt, & sic ad gratiam pertinent, operantem. Quatenus vero diuinum auxilium libero arbitrio coniungitur etiam ad operationem primam circa finem, gratia cooperans appellatur. Rursus dum aiunt nullum aliud apud D. Augustinum initium salutis, & boni operis inueniri, quod gratiam ope-

Soto de natura & gratia c.16.

rantem appellet præter vocationem, qua ad consensum inuitamur, falsum est. Et licet plurima D. August. testimonia possemus adducere, sufficit autem adducti capitis contextus. Ex quo facile est præter vocationem aliam gratiam efficientẽ colligere. Hic enim primo constituit ad monitionem Dei, & inuitationem ad salutem. Secundo constituit inspirationem Dei. Primum quidem pertinet ad motionem sufficientis auxilij quo admonemur, & inuitamur ad salutem. Secundum autem ad efficientem. Sicuti enim spiratio est actio voluntatis Diuinæ patris & filij qua spiritus Sanctus procedit, ita etiam inspiratio est Diuinæ motio voluntatis qua liberum hominis impellit arbitrium, vt in opera bona consurgat. Vnde in Concilio Arausicano secundo diffinitur, [per gratiæ donum idest per inspirationem Spiritus sancti corrigi voluntatem nostram ab infidelitate ad fidẽ, & ab impietate ad pietatem.] Et alibi

Conc. Arausic. 2. can. 5.

ean-

eandem intentionem proſequitur dicens. [Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat.] Quid eſt inſpirat, niſi quod Deus fidem ſui, atque amorem efficienter generat. Huic confeſſioni conſonat Conc. Trid. ſicuti enim [Deus inſpirauit in faciem hominis de limo terræ formati ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem] vt nimirum homo ſecundum vitam naturæ operationes ederet naturales. Ita per inſpirationem Spiritus ſancti fit homo in animam viuentem ſupra naturam, & operationes edentem ſupernales, quæ Dei ſint actiones, ac munera. Quod etiam D. Auguſt. in eodem libro de gratia & libero arbitrio non obſcuro ſermone confitetur. Cum enim dixiſſet [firmiſſime credendum eſt in præuaricatione Adæ omnes

Can. 5.

ſeſſ. 6. can. 3.
Geneſis 2.

D. Aug. de gratia & lib. arb. c. 22.

homi-

homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe: & neminẽ de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit.] paucis interpoſitis ſuper addit. [Quod omnia ſtudia, & omnia opera ac merita ſanctorum ad Dei gloriã laudemq. referenda ſint, quia nemo aliunde ei placet, niſi ex eo quod ipſe donauerit: in quam nos ſententiam dirigit Beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis auctoritas, cum ſcribens ad totius orbis Epiſcopos ait. [Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda ſunt vnde naſcuntur) ad fratrũ & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam vniuerſa retulimus. Hunc autem ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem, tanto aphri Epiſcopi honore venerati ſunt, vt ita ad eundem virum ſcriberent. Illud vero quod in litteris, quas ad vniuerſas Prouincias curaſti eſſe mittendas poſuiſti dicens: Nos tamẽ inſtinctu Dei, &c. ſic accipimus

dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, distincto gladio veritatis velut cursim transiés amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quam quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterq; vidisti, veraciter fidenterq. dixisti. Ideo vtique quia [præparatur voluntas a Domino.] Et vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangat corda filiorum. [Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt] vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusq. volũtatis humanę singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. Ita Deus ex cordibus hominũ, atque in ipso libero operatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium omnisq; motus bonę volũtatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.] En D. August. docet Deum per gratiam suam ex cordibus

hominum atque in ipſo libero operari arbitrio, ergo nequaquam ſentit gratiam operantem in ſola cognitione conſiſtere. non enim ſolum Deus intellectibus hominum veras cognitiones operatur, verum etiam bonas peragit in libero arbitrio effectiue volitiones. Ex eo namq. quod Deus bonum obijcit ex intellectu voluntati perperam colligitur quod agat in voluntatem, & in ipſo libero arbitrio operetur. Operari enim proprie eſt cauſæ efficientis phiſice mouentis, ſeu agentis: motio autem finis vel obiecti proprie & in rigore cauſa non eſt. Cauſa namque eſt ad quam aliud ſequitur, ſcilicet effectus. Poſſita vero motione morali ſæpe ſæpius voluntas reſiſtit. Quid ergo prodeſt ſi Deus impium vocet vocatione ſufficienti quæ ſe tenet ex parte intellectus, niſi & ipſe Deus voluntati præſtet bonitatem, qua bonum opus perficiat auxilio efficiēti & phiſico? Quid proderit peccatorem vocare, vt a peccatis reſurgat, ſi manus

omni-

omnipotentis ad ſalutem illum non erexerit? Quid intereſt dicere, & exhortari vt impius vincula ſoluat, niſi qui dicit, & exhortatur Deus ſoluat compeditum, & ille qui dixit & facta ſunt, & vniuerſa dicendo producit: animæ mole peccatorum depreſſæ, quæ diaboli mancipium peccando facta eſt, dicat illud propheticum. [Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem ciuitas ſancti. Excutere de puluere, conſurge, ſede Hieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua filia Sion. Quia hæc dicit Dominus. gratis venundati eſtis; & ſine argento redimemini.] Vt ergo D. Auguſtinus Deum non ſolum operari in intellectu, verum etiam directe in voluntate efficienter agendo ſtabiliret, Synodi Milauetanæ cui ipſe interfuit diffinitionem, in ſuæ ſententiæ confirmationem adducit, ſic dicentis. [Quiſquis dixerit gratiam Dei per Ieſum Chriſtum propter hoc tantum nos adiuuare ad non

Iſaiæ 52.

peccandum, quia per ipſum nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis pręſtari vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit.] Neceſſario igitur fatendum eſt Chriſtum non ſolum in intellectu hominis operari illuminando, monendo, atque docendo, ſed vltra hæc quę ad cognitionẽ pertinent, facere mouendo efficienter voluntatem, vt velimus facere quæ facienda cognouimus, atque perficere valeamus. Quem modum mouendi D. Thomas elegantiſſime docet in quæſtione de voluntate vbi quærens num Deus voluntatem cogere poſſit reſpondet dicendum [quod Deus poteſt immutare voluntatem de neceſſitate, non tamen poteſt eam cogere. Quantumcunque enim voluntas immutetur in aliquid, non dicitur cogi in illud. Cuius ratio eſt, quia ipsũ velle aliquid eſt inclinari in illud, coactio autem vel

De voluntate q. 22. in diſputatis art. 8.

violentia est contraria inclinationi illius rei quæ cogitur. Cum igitur Deus voluntatē immutat, facit vt præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, & ita quod prima aufertur, & secunda manet. Vnde illud ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi iam existenti, sed inclinationi quæ prius inerat. Vnde non est violentia, nec coactio. Sicut lapidi ratione suæ grauitatis inest inclinatio ad locum deorsum, hac autem inclinatione manente si sursum proijciatur, erit violentia. Si autem Deus auferat a lapide inclinationem grauitatis, & det ei inclinationem leuitatis, tunc ferri sursum non erit ei violentum. Et ita immutatio motus potest esse sine violentia. Et per hunc modum intelligendum est quod Deus voluntatem immutat, sine eo quod voluntatem cogat. Potest autem Deus voluntatem immutare ex hoc quod ipse in voluntate operatur, sicut in natura. Vnde sicut omnis actio

natu-

naturalis eſt a Deo, ita omnis actio voluntatis inquantum eſt actio non ſolum eſt a voluntate, vt immediate agente, ſed a Deo, vt a primo agente, qui vehementius imprimit. Vnde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, vt ex dictis patet, ita & multo amplius Deus. Immutat autem dupliciter voluntatem. Vno modo mouendo tantum, quando ſcilicet voluntatem mouet ad aliquid volendum, ſine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati, ſicut ſine appoſitione alicuius habitus quandoque facit, vt homo velit hoc quod prius non volebat. Alio vero modo imprimendo aliquam formam in ipſam voluntatem. Sicut enim ex ipſa natura quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum vt ex dictis patet, ita ex aliquo ſuperaddito, ſicut eſt gratia vel virtus inclinatur vlterius ad volendum aliquid aliud ad quod prius non erat determinata naturali inclinatione. Sed hæc

quidem inclinatio superaddita quandoq. est perfecta, quandoq. imperfecta. Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id ad quod determinat, sicut per naturam de necessitate inclinatur voluntas in appetendum finem, sicut contingit in beatis, in quibus charitas perfecta inclinat sufficienter in bonum, non solum quantum ad finem vltimum, sed quantum ad ea quæ sunt ad finem. Aliquando vero forma super addita non est vsquequaque perfecta, sicut est in viatoribus & tunc ex forma superaddita voluntas inclinatur quidem, sed non ex necessitate.] Ex quibus patet manifeste quod secundum sententiam Doctoris Angelici omnis actio voluntatis licet sit a voluntate vt inmediato agente, est a Deo vt a primo agente, qui vehementius imprimit & agit in effectum simul mouendo causam secundam effectiue. Et hoc pacto intelligenda est D. Aug. sententia cuius doctrinam in vniuersum sequutus est D. Thom.

Alium

D.Aug.lib.1. ad Simplicianum q.2.circa medium.

Alium locum Diui Augustini referunt isti doctores pro efficacia morali, vbi inquit D. Augustinus, [illud autem nescio, quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus. Ad eandem quippe misericordiam pertinet, vt velimus. [Deus enim est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.] Nam si quæramus vtrum Dei donum sit voluntas bona: mirum, si negare quispiā audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem: propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus: nobis vero tribui non potest quod vocamur. Non ideo igitur dictum est putandum: non volentis neque currentis sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus: sed ideo potius, quia nisi eius vocatione non volumus] hucusque D. Augustinus. Prosequuntur autem isti doctores ita dicen-

tes. [Disserte ergo docet Augustinus ideo solius Dei miserentis esse opus nostrum vel voluntatem; hoc est, quod velimus; quia solus ille præstat, & operatur in nobis vocationem, qua ad volendum allicimur. In ea igitur solum est gratia operans; quæ solius Dei esse dicitur: non autem in consensu ipso etiam primo circa finem, neque in applicatione voluntatis ad actum. Aliam enim applicationem nostrę voluntatis ad consentiendũ, quæ soli Deo tribuatur, & ratione cuius dicatur, opus salutis nostræ esse solius Dei miserentis non cognouit Aug. pręter vocationem quæ est sola cognitio] omnia hæc, quæ in explicationẽ verborũ D. Aug. adhibent falsissima sunt; & aperte contra mentem auctoris. Manifeste namq. vltra vocationem quę est sola cognitio superaddit D. Aug. operationẽ Dei qua in nostra volũtate operatur velle & perficere. quam voluntatẽ bonam a Deo nobis cõmunicari ita certũ est, vt nemo illud negare p̃sumat.

Motioni autem Diuinæ & vocationi ideo voluntas bona tribuitur, quia ab illo est vt agente. Alias enim non esset a Deo; sed a nobis vt agentibus: quamuis ipse vocaret, obiectum bonum in intellectu proponendo. Et quod hoc verum sit, & quod Diuo Augustino falso imponatur solam vocationem cognouisse quæ est tantum cognitio, audiant eundem sacrum doctorem ita loquentem, [vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Iudei vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens [ipsis vocatis Iudæis atque Græcis prædicare se Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.] Sic enim ait, ipsis autem vocatis: vt illos ostenderet non vocatos, sciens esse quan-

D. Aug. de prædest. Sanctor. c. 16.

Luc. 14.

1. Cor. 1.

ad Rom. 8.

dam certam vocationem eorum qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, quos præſciuit & prędeſtinauit conformes ima ginis filij ſui. Quam vocationem ſignificans ait. [Non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori.] Numquid dixit non ex operibus ſed ex credente? Prorſus hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo ſed ex vocante, non quacunque vocatione ſed qua vocatione fit credens.] Maniſeſtum eſt ex his verbis eſſe aliam vocationem quæ non ſit ſola cognitio ſecundum mentem D. Auguſtini, ait enim non ex operibus ſed ex vocante, non dixit ſed ex credente, dixit autem ex vocante vt totum daret Deo qui ſua vocatione hoc ipſum incredente faceret, vt credat. Quę nullatenus explicari valent de vocatione quæ ſit ſola cognitio. Quantumcunque namq. ſit cognitio vehemens, non fit per hanc homo credens. Poteſt enim huiuſmodi vocationi obſiſtere quácunque ſup- ad Rom. 9.

positione facta iuxta sententiam efficaciæ moralis. Cæterum vt clarior fiat
Cap. 17. sententia Augustini audiant ea, quibus inferius supradicta confirmat. [Intelligamus ergo (inquit) vocationem qua fiunt electi; non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, vbi dicit; [non vos me elegistis, sed ego elegi vos.] Nam si propterea electi erant quoniam crediderant, ipsi eum prius vtique elegerant credendo in eum, vt eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino, qui dicit, non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et ipsi quidem proculdubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum. Vnde non ob aliud dicit non vos me elegistis, sed
Ioann. 15. ego vos elegi: Nisi quia non elegerunt eum vt eligeret eos; sed vt eligerent eum, elegit eos. Quia misericordia eius præuenit eos secundum gratiam, non secundum debitum. Elegit ergo eos de

mundo cum hic ageret in carne, ſed iam electos a ſeipſo ante mundi constitutionem. Hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis & gratiæ. Nam quid eſt quod ait Apoſtolus. [Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem ?] Quod profecto ſi propterea dictum eſt, quia præſciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam loquitur filius dicens. [Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi.] Cum hoc potius præſcierit Deus, quod ipſi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi. Electi itaque ſunt ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit: electi ſunt autem de mundo ea vocatione qua Deus id quod prædeſtinauit impleuit] eſt ergo vocatio ſecundum Diuum Auguſtinum executio illius æternæ prædeſtinationis qua Deus ſe prædeſtinatos vocaturum præſciuit. Non hic locum habet

ad Epheſ. 1.

ſola cognitio nec ex parte Dei, neque in intellectu hominis, fit enim ex parte Dei, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in homine vero fit electionis executio, & prædeſtinationis, dum facit ex ipſa met vocatione vt a Deo procedit efficienter credentes, & filios Dei. Non enim vocat quia crediderunt, ſed applicat Deus voluntates eorum motione reali & phiſica vt credant. Alias enim non eſſet fides ex vocante, ſed ex ipſis qui vocantur, ſi ex ſe met ipſis liberum arbitrium applicant ad credendum. Sicuti ergo in naturalibus [vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.] Et [ſtellæ vocatæ ſunt & dixerunt adſumus.] Quia vocatione ſua res ipſas quæ non erant in ſuo eſſe conſtituit. Ita hac ſancta vocatione eos qui erant impij, pios facit, generans conſenſum liberum in voluntate, non expectans vt ex ſe ipſis velint & conſentiant.

Rom. 4.

Baruc. 3.

D. Aug. lib. 1. ad Simplicianum.

Adducunt alterum teſtimonium Diui Auguſtini in ſuæ ſententiæ defenſionem,

dicunt

dicunt enim Diuum Augustinum eam sententiam amplecti quæ duplicem vocationem constituit, alteram congruam cui ita contemperatur arbitrium, vt respondeat. Nam cum illi qui hac vocatione vocantur, dicantur ab ipso Augustino congruenter vocati, possumus eam congruam vocationem appellare. Quia vero alij ita vocantur; vt non congruant, neque contemperentur vocationi, altera vocatio horum nimirum qui non respondent, neque contemperantur vocationi, dici potest non congrua hucusque auctores moralis efficaciæ processerunt. Non possũ autẽ graues alias viros non admirari qui vt ista prælo mandarent non aduertunt Diuum Augustinum in hoc loco dum de congrua & incongrua vocatione disputat, quæstionem uentilare, non deffinire. Cum enim ad explicationem propriæ sententiæ procedit, inquit. [Et tamen intueamur superiora, & inde nostram quantum ipse Dominus adiuuat,

ſententiam dirigamus.] Quo patet ante iſta uerba propriam non protuliſſe ſententiam: Vnde & his uerbis in margine additur, concluſio quæſtionis. Quia ab his uerbis diſputationis deciſſionem & concluſionem exorditur: Et tandem concludens inquit: [Præcipitur ut credamus, ut dono accepto Spiritus ſancti per dilectionem bene operari poſſimus. Sed quis poteſt credere, niſi aliqua uocatione, hoc eſt, aliqua rerum teſtificatione tangatur? Quis habet in poteſtate tali uiſſo attingi mentem ſuam, quo ei uoluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet poteſtatem ut uel occurrat quod eum delectare poſſit, uel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc & prouidetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria; aut operum meritis comparatur. Quia ut ſit nutus uoluntatis, ut ſit induſtria

ſtudij, vt ſint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur. Propterea [petere iubemur vt accipiamus, & quærere, vt inueniamus, & pulſare, vt aperiatur nobis.]. Non ne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida, & pene nulla, immo omnino interdum ita nulla, vt neque hoc cum dolore in nobis aduertamus, quia ſi vel hoc dolemus, iam oramus? Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere, & pulſare ille concedit, qui vt hæc fugiamus iubet? [Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei:] quandoquidem nec velle, nec currere, niſi eo mouente, atque excitante poterimus.] Ex quibus quidem verbis liquido ſatis colligitur quod D. Auguſtinus motioni quæ ſufficiens eſt, ſed inefficax, efficientem adiungat, vt delectent quæ objiciuntur. Atque vt ſit nutus voluntatis, & ſit induſtria ſtudij, Deus ſua gratia largitur, & petere, & pulſare, ille concedit, qui præ- Rom. 9.

cipit. Denique iubet, quod vult; Sed facit ipse quod iubet. Non negamus esse motionem congruam ex parte obiecti, aliter enim monet Deus, & allicit auarú, aliter luxui deditum, aliter inuidum, vt congrua sit vniuscuiusque vocatio. Verum hæc nihil conuersionis efficiet, nisi adsit auxilium efficiens phisicum; Quod etiam aliquo modo congrui nomen potest sortiri, quatenus magis obsistentem, & durum maiori virtute propellit, quam nõ obstinatum, & auxilij sufficientis operibus iam dispositum. Quæ differentia in effectibus desumenda est, non in causa, quæ Deus est, cuius infinitas magis aut minus non recipit. Recurramus igitur ad Deum & deprecemur vt suæ omnipotentiæ manu efficaciq. auxilio nos moueat ad salutem, bonitatem præstet, virtutem donet, gressus dirigat, & usque ad Diuinæ essentiæ claram uisionem perducat. Scio Domine quod sapiẽtis ore dixisti. [Qui confidit in corde suo, stultus est] & per ui-

Prouerb. 28.

rum,quem antequam formares, bene nosti, & antequam exiret de vulua sanctificasti, ita loquutus es. [Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum] si autem maledictus homo qui confidit in homine, vtique Maledictus homo qui confidit in se. Insipientiam hanc longe fac a me, & maledictio tua non me comprehendat. Tu enim es [spes mea a iuuentute mea.] & [perditio mea ex me, tantummodo ex te auxilium meum.] [Sciens ergo quæ a te donata sunt nobis, omnia bona in te per gratiarum actionem refundo. Non mihi arrogo. Non dico, Domine ne despicias opera manuum mearum. Non me iacto de operibus meis. [Exquisiui quidem Dominum manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus.] Sed tamen non commendo opera manuum mearũ: timeo ne cum inspexeris, inuenias plura peccata, quam merita. Hoc solum rogo, hoc dico, hoc impetrare desidero,

Hier. 17.

Psalm. 70.

Oseæ 13.

D. Aug. super Psal. 137

Psalm. 76.

Domine opera manuũ tuarum ne despicias. Opus tuum in me vide, non meum: nam meum si videris, damnas, tuum si videris, coronas. Quia & quæcumque sunt opera bona mea, abs te mihi sunt, & ideo tua magis quam mea sunt. Audio
Ephes. 2. quippe ab Apostolo tuo, [Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis.] Ergo siue in eo quod homines sumus, siue in eo quod ex nostra impietate mutati, & iustificati sumus, Domine opera manuum tuarum ne despicias.] Tibi Rex benedicte sit gloria in secula sempiterna. Amen.

NOn sedit animo candide lector, omnia quæ efficaciæ auxiliorum Diuinæ gratiæ quoquo modo conueniunt, & adhærent, masticando, ac disputando immorari. Operis enim immensitas, atque rationum sibi inuicem aduersantium colluctatio densa caligine cuncta obnubilarent. Neque la-

boris nostri desideratum fructum assequeremur. Erit autem vberrimus fructus, si quem vniuersæ creaturæ cognoscis factorem, simul totius gratiæ, omniumq. bonorum operum confitearis auctorē. Dum namq. vnusquisque in singulis bonis voluntatis motibus Deo se indigere considerat. Neque sine Deo mouente, atque trahente quidquam boni quod ad salutem pertineat operari posse perpēdit; eum toto corde quærit, ab illius offensis abstinet, ac ipsi qui sanat omnes infirmitates suas, & redimit de interitu vitam suam, gratias agit. Ideo horsum tota mea versa est intentio, vt omnipotentem liberum arbitrium nostrum vere efficaci, efficientiq. auxilio agere, vt ad eum conuertatur, bene operetur, & vsque in finem in Diuinæ legis obseruantia permaneat, Theologicis argumentis cōuincerem. Quod si pro voto successit, Deo gratias; si vero defecimus, nostrum est. Vt non in nobis sed in Domino gloriemur.

VNIVERSA HÆC SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CORRECTIONI SVBSTERNO.

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM.

A

Auxi-

C

Deus

D

G

I

Libe-

L

M

Quod

Finis Index rerum & sententiarum.

IN-

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Ex Genesis.

Ex lib. Exodi.

Ex Deuteronomio.

Ex

Ex lib. Psalmorum.

Ex lib. Prouerbiorum.

Ex lib. Ecclesiastes.

Ex lib. Canticorum.

Ex lib. Sapientia.

Ex lib. Ecclesiasti.

Ex lib. Esaiæ.

Ex lib. Hieremiæ.

Ex lib. Threnorum

Ex lib. Baruch.

Ex lib. Ezechiel.

cap.36.

Ex lib. Zachariæ.

Auctoritates ex Euang. Matthæi.

Ex Euangel. Lucæ.

Ex Euang. Ioann.

Ex lib. Actorum.

Ex Epist. ad Romanos.

cap.8.

Deus

Ex Epist. ad Ephesios.

Ex Epist. ad Philippenses.

Ex Epist. 1. ad Thimoth.

Finis Indicis locorum ſacræ Scripturæ.

Errata sic corrige.

Pagina	Linea	Errata		Correctio
13	12	proposito	leg.	propositio.
15	9	potès		potest
56	13	cum		eum
101	2	dienda		dicenda
129	11	eripere		eripe
133	8	trahendum		trahendorum
251	20	in marg. art.9.		art.1.
292	5	aduerte		aduertere
375	4	iustæ		iustitiæ
405	14	possibilliter		possibile

REGISTRVM.

✶ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo.

Omnes ſunt folia integra, præter ✶ quod eſt duernio, & Ooo quod eſt folio cum dimidio.

ROMÆ, Ex Typographia Dominici Liliotti.

SVPERIORVM PERMISSV. 1599.

Regula monachorum S. Hieronimi
excerpta ex scriptis eiusdem
a Lupo de Olmeto collecta.
Aprobatio eiusdem a Martino quinto
Lupus de Olmeto ordinis monachorum et
eremitarum S.ti Hieronimi